DE HERODOTI FONTE DELPHICO

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

UNIVERSITATIS BASILIENSIS PHILOSOPHORUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ALBERTUS OERI

TURICENSIS-BASILIENSIS

BASILEAE

EX OFFICINA E. BIRKHAEUSER

MDCCCXCIX

JACOBO OERI

PATRI CARISSIMO

D. D. D.

PIETATIS CAUSA

De Herodoti fonte Delphico.

Herodoto praeter ceteros totius antiquitatis scriptores Apollo Delphicus optimam suam debet famam. Consentiunt nostri aevi viri docti, eo id explicari posse, quod, quamquam uno tantum loco[1]) testes Delphos ipse expressis verbis invocat, multarum rerum Delphi patri historiae auctores fuerint. Qui quot et quales narrationes ei praebuerint, disserere ego mihi proposui.

[1]) I 20: „*Δελφῶν οἶδα ἐγὼ οὕτω ἀκούσας γενέσθαι.*“

CAPUT I.

De rebus Lydiis.

Multa iam dicta sunt de fonte philodelpho, quo Herodotus usus est ad historiam Mermnadarum conscribendam.[1]) Tamen cassum laborem me suscepisse non puto examine Lydiacorum repetito. De quantitate enim eorum, quae Delphis Herodoto suppeditata sunt, quaerere etiamnunc haud inutile est. Benedict,[2]) qui primus de hac re uberius disseruit, existimat, sacerdotes Delphicos fuisse testes Herodoto omnium oraculorum ad res Lydias pertinentium excepto uno illo de filio muto dato. (I 85) Schubert,[3]) cuius auctoritas in his rebus multum valet, non solum narrationes chresmologicas Delphis ei datas esse, studet probare, sed continuam Lydiacorum descriptionem, e qua, ut exemplum afferam, etiam orta sint, quae de Croesi et Solonis colloquio narrantur. Ego, cur tam multa Delphis non assignem, nunc exponam:

Herodotus I 7 narrat, Heraclidas regnum obtinuisse „ἐκ ϑεοπροπίου". Quod oraculum Schubert (p. 6) suo iure statuit inventum esse ab homine, qui, cum in locum ipsius Omphales ancilla successisset, Heraclidas iure regnandi egere vidisset.

---

1) cf. Ed. Meyer: Geschichte des Alterthums II p. 768. Busolt: Griechische Geschichte II² p. 451.

2) F. Benedict: De oraculis ab Herodoto commemoratis quaestionum pars I. Diss. Bonnae 1871.

3) R Schubert: Geschichte der Könige von Lydien. Breslau 1884.

Transeamus[1]) ad ea, quae de caede Candaulis Heraclidae et de Gyge munifico[2]) Apollinis amico profert Herodotus I 8—12. Schubert, (p. 25 s. q.) cui assentitur Busolt, (II² p. 457.) putat, hanc narrationem Gygis studiosam haustam esse ex fonte philodelpho, Nicolaum Damascenum[3]) autem ex Xanthi libro Tudonis reginae causam secuto, desumpsisse ea, quae de eadem re narrat. Ex Herodoti atque Nicolai testimoniis, quibus accedit fabula, quam legimus de Gygis anulo apud Platonem,[4]) Schubert effici putat, Gygem necasse re vera regem dormientem regina adiutrice lectumque eius et regnum usurpasse. At Eduardus Meyer (II p. 458) iam intellexit, narrationem ab Herodoto de Candaulis interitu prolatam nil esse nisi fabulae Platonicae formam communi rationi adaptatam. Hanc rem fortasse aliquis invertere conabitur, Platonis fabulam corruptam esse formam relationis Herodoteæ affirmans. Sed meo quidem iudicio fieri id non potest, quod iam in eis, quae Xanthus apud Nicolaum tradit, studium auctoris alicuius fabulam Platonicam mutantis manifestissimum est, multo manifestius quam apud Herodotum, ubi lepidissima narrandi arte velatur: Nicolai auctor, qui Gygis miram facultatem ex narratione amovebat, stuprationem reginæ compensavit illo „προσεφιλοφρονεῖτο," quia, cum Gyges aspectabilis in cubiculum intrare non posset, rem in rhedam transferri necesse erat. Apud Nicolaum Gyges ab ancilla amore eius capta comperit, regem ei minitatum esse mortem in cubiculo: in fabula genuina Gygem ipsum in cubiculo praesentem

---

1) Tangimus hoc loco quaestionem illam difficilem, Lydiacisne Xanthi Herodotus usus sit. Hachtmann, qui hoc probare studuit, („De ratione inter Xanthi Λυδιακὰ et Herodoti Lydiae historiam." Progr. Hal. 1869.) refutatus est a B. Heilio („Logographis qui dicuntur num Herodotus usus esse videatur." Diss. Marp. 1884). At anno 1886 Paulus Pomtow denuo sententiam tuitus est, Xanthum Herodoti esse fontem. („De Xantho et Herodoto rerum Lydiarum scriptoribus." Diss. Hal.) Opinionem eius non pervicisse videbis legens, quae de hac re bene dicunt: A. de Gutschmid, (Kl. Schriften, vol. IV p. 311. Lips. 1893), Ed. Meyer, (Forschungen zur alten Geschichte. I. Hal. 1892, p. 167, 182 etc.) (Gesch. d. Alterth. II p. 12), Busolt (II² p. 452), C. Wachsmuth („Einleitung in das Studium der alten Geschichte." Lips. 1895, p. 466.)

2) cf. I 14.

3) fr. 49.

4) de re publ. II 3, p. 359, 360.

rem audivisse, mihi persuasum est. Eadem illa mira ancilla ei apud Nicolaum portam cubiculi patefacit: in fabula desiderari hoc potuit, quod Gyges, cum regis iusiurandum audiret iam intus erat. Lixus inimicus apud Nicolaum calumnias, quas adhibet contra Gygem, ipse prodit per urbem clamans „*μαίνεσθαι προσποιηθείς*“: in fabula Gyges vi magica anuli tectus adfuisse videtur colloquio secreto, quo eum Lixus accusavit. Ita meo iudicio a Nicolai auctore mutata est eadem illa fabula vetus, quae apud Herodotum transformata est in „novellam“ (sit venia voci) rebus humanis artificiose adaptatam sententiisque callidis ornatam [1])[2]), qua uti historico sane non licet.

Ne levissimum quidem vestigium video, quod originem Delphicam huius narratiunculæ indicet. Schubert finem capitis 13 affert, ubi narrat Herodotus, Delphicum oraculum poenam criminis Croeso minitatum esse. („*ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω*“).[3]) At manifestum

---

[1]) Ex fonte scripto haec narratio hausta esse videtur propter verba (c. 8): „*χρόνου δὲ οὐ πολλοῦ διελθόντος,*“ quae apud. Herodotum difficilia sunt intellectu, termino a quo manifesto non exstante.

[2]) cf. „*ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν*“ — „*ἅμα κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή*“ — „*σκοπέειν τινὰ τὰ ἑωυτοῦ.*“

[3]) Schoene (Hermes IX p 496 sq.) optime demonstrat, cur Pythia (I 91) dicat, Croeso Apollinis beneficio tres imperii annos a fato concessos esse.
[Gygis 38, Ardyos 49, Sadyattis 12. Alyattis 57, Croesi 14 = 170 anni
3 *γενεαί* = 100 anni
5 *γενεαί* = 166 2/3 anni = 167 anni.
restant 3 anni.]

At non possum concedere Schoenio, Nicolaum e Xanthi libro haurientem oraculi verba accuratiora servasse quam Herodotum, cum (fr. 49, 60) diceret „*εἰς πέμπτην γενεάν*“ loco illius „*ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω.*“

Meo quidem iudicio *γενεή* non est „spatium triginta annorum“ sed „hominum genus“ nec magis mirandum est, Nicolaum „*ἀπόγονον*“ haustum ex Herodoto vertere illo „*γενεάν*“ quam, scriptorem Germanicum fontis verba „die Rache wird den vierten Nachkommen treffen“ reddere per „die Rache wird die vierte Generation treffen.“ Qui cum Schoenio prementes vocem „*γενεάν*“ dicunt, Nicolaum servasse oraculi formam primariam, non sentire videntur, Apollinis oraculum tum esse falsum. *γενεή* enim, si re vera esset „triginta trium annorum spatium,“ Apollo perperam dixisset „*εἰς πέμπτην γενεήν,*“ cum „*ἕκτην*“ dicere deberet. Cur porro, si *γενεή* cum notione triginta trium annorum in oraculo erat, Apollo Croesum

est hanc narrationem de vaticinio prolatam fluxisse ex alio fonte atque illam de trucidatione regis: caput 13 intellegi non potest, nisi re vera crimen Gyges commisit; auctor capitum 8—12 Gygem ab omni culpa purgare studet: cf: „*χρῆν γὰρ Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς, — ὡς οὐκ ἐδύνατο διαφυγεῖν ἦν ἕτοιμος* (ad reginam videndam) — *ὥρα ἀναγκαίην ἀληθέως προκειμένην, — ἐπεί με ἀναγκάζεις δεσπότεα τὸν ἐμὸν κτείνειν οὐκ ἐθέλοντα —, οὐ γὰρ μετίετο ὁ Γύγης οὐδέ οἱ ἦν ἀπαλλαγὴ οὐδεμία.*“ Itaque caput illud 13, re vera philodelphum, cum ea, quam Herodotus praemisit narratione non consentit, sed supplendum est ex fabula Platonica, quae Gygem non excusabat. Rudimentum narrationis Delphicæ fortasse est nomen „*Μυρσίλος*“, quod secundum Herodotum Graeci dabant Candauli. (I. 7) Nemo non videt, hanc meam duplicis nominis explicationem multo faciliorem esse quam Schuberti illam, qui dicit, Delphicum fontem praebuisse nomen „*Κανδαύλης*“. Quod, qui credere vult, concedere debet, Herodotum dicere „*τὸν οἱ Ἕλληνες Μυρσίλον ὀνομάζουσι,*“ cum fons eius Græcus *κατ' ἐξοχὴν* ipsum illud „*Κανδαύλης*“ praebuerit! Versus illi, quibus auctorem Delphicum oraculum de Heraclidarum ultione composuisse suspicari possumus, fortasse acrius quam narratio ab Herodoto inserta permittebat, Gygem interfectorem regis increpabant et hanc ob causam ab Herodoto soluti sunt.

In eis, quae c. 17 sq. narrantur de bello ab Alyatte cum Milesiis gesto, Schubert (pag. 43 sq.) partem Delphicam optime

---

post annum Mermnadarum centesimum sexagesimum sextum non interfecit, ut filius demum Sardes captas videret?

Auctor Herodoti aut Herodotus ipse videtur, cum in fonte invenisset „*ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον*“ meditatus esse ita: una hominum *γενεή* respondet imperio unius regis (cf. II 142). Cum 33 1/3 anni plerumque uni *γενεῇ* a fato concederentur, ultimus, qui exspectandus erat, terminus imperii quinque regum Mermnadarum annus erat post Candaulis necem centesimus sexagesimus septimus. At re vera Mermnadae usque ad annum centesimum septuagesimum regnabant. Efficitur, ultimum eorum tres annos lucratum esse. Oraculum quidem Apollinis accuratum ac verum fuit: quintus rex culpam Gygis luit. Tamen pietas Croesi honorata est eo, quod non, cum providendum esset, sed tribus annis post necessaria evenerunt. — Sales loci Herodotei in ipso eo mihi latere videntur, quod Apollo *Μοίρας παραγαγεῖν* potest eatenus tantum, ut oraculi eventus non prohibeatur. „*ὅκως ἂν κατὰ τοὺς παῖδας τοῦ Κροίσου γένοιτο τὸ Σαρδίων πάθος*“, efficere non potuit, quod *ἐς πέμπτον*, non *ἐς ἕκτον, ἀπόγονον* fatum incidere secundum ipsius vaticinationem debuit.

detexit. Dicit huic fonti assignanda esse illa tantum, quae narret Herodotus de templo igni deleto atque de Alyattis morbo et de consultato oraculo, aliunde autem hausta esse, quae de dolo Thrasybuli tyranni proferat. Si quis tamen quaerit, quae omnino causa falsarium philodelphum ad fingendam hanc historiam adduxerit, respondendum est, donaria Alyattis peregrinatoribus quaestionem elicuisse, cur deus amicus fuisset adversarii Græcorum.[1]) Quaerentibus offerri potuit haec narratiuncula, ab Herodoto cum alia contaminata, quae demonstrat ipsius Delphici oraculi responso hostem coactum esse, ut pacem Graecis opportunam iungeret. — Si versibus confectum erat hoc oraculum a philodelpho, Herodotus eos delevit fortasse, quia disertis verbis pacem, non quas contaminatio poscebat, indutias regi imponebant.

Jam diximus Schubertum (p. 70 sq.) existimare, narrationem, quam profert Herodotus de Croesi et Solonis commercio atque de Croeso Solonis invocatione servato,[2]) haustam esse ex fonte Delphico.[3]) Pro argumento ei est locus Herodoti: „Ἀργεῖοι δέ σφεων (Cleobis et Bitonis) εἰκόνας ποιησάμενοι ἀνέθεσαν ἐς Δελφοὺς ὡς ἀνδρῶν ἀρίστων γενομένων.“ (c. 31) Haec donarii commemoratio secundum virum doctum Delphicam originem narratiunculae de Cleobe et Bitone responso Solonis parum apte insertae indicat; propter insertam Delphicam partem putat, Herodotum audivisse totam relationem e testis Delphici ore. At Delphica non est horum Argivorum memoria. Scimus enim simillimam fabulam Delphis esse narratam de Trophonio et Agamede: Pindarus[4]) celebravit hos Delphici templi architectos, quod deus pro aede exstructa eis mortem dedisset. Ecce genuina fabula Delphica, sed altera illa Argivae originis signa prae se fert. Ita nil restat, quo probari possit, Delphos fuisse qui Herodoto de Croeso et Solone narravissent.

---

[1]) Bellum illud Milesium passim erat notum, quod cohaeret cum historiolis, quae narrabantur illo aevo de septem sapientibus, quorum unus erat Periander.

[2]) De hac narratione optime egit Koepp. (Hist. Zeitschrift. N. F. 38 p. 442.)

[3]) Etiam Busolt II² p. 300 dicit: „Vieles stammt in der Erzählung Herodots (I 30 ff.) aus delphischer Quelle.“

[4]) Apud Plutarchum. Consol. ad Apollon. 14.

De oraculo c. 47 commemorato rebusque, quae cum eo cohaerent, verba facere supersedere possum, quod nemo non videt, falsarium philodelphum composuisse versus:

„οἶδα δ'ἐγὼ ψάμμου τ'ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης
καὶ κωφοῦ συνίημι, καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.
ὀδμή μ'ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης
ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσιν
ῃ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται χαλκὸν δ'ἐπίεσται·"

Difficilior quaestio est, num etiam oraculum „ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχήν μιν καταλύσειν" (c. 53) hoc ex fonte provenerit. Ego id tribus de causis nego:

1. Considerandum est, qua re auctor philodelphus gloriaretur hoc afferens oraculum! Vaticinium sat inane est, ut genuinum esse possit.[1]) Mihi quidem minime verisimile videtur esse, oraculi defensores narrasse de responso dei tam vano, ut consultor quaestionem iterare debuisset; fama popularis potius talem rem propagabat sacerdotibus iniqua.

2. Hoc oraculum de perdendo imperio prolatum artissime coniunctum est cum dei Delphici consilio de sociis quaerendis dato.[2]) Croesus fecit, quod iusserat Apollo: potentissimos Graecorum, Lacedaemonios, foedere sibi adiunxit neque eo minus interiit. Parum aptus etiam huius partis oraculi eventus erat philodelpho, quo gloriaretur. Gutschmidii[3]) opinio, quae est, Athenienses, non Lacedaemonios oraculo illo designatos esse, ne uno quidem Herodoti verbo firmatur. Cur Herodotus hanc partem defensionis dilectissimi Delphici oraculi plane oblitus esset?

---

[1]) Quae a Schuberto affertur causa, cur genuinum hoc oraculum non sit, mihi sufficere non videtur. Dicit p. 91: „es muss hervorgehoben werden, dass der Spruch als wirklich gefasst immerhin schon eine sehr gewagte Prophezeiung enthalten hätte, da doch die allerwenigsten Kriege in dem völligen Untergange eines der beiden kämpfenden Reiche ihr Ende finden." Mea sententia audax vates non est, qui unum ex duobus regibus Asiaticis amissurum esse dominationem praedicit, quorum alter alterius affinem iam regno spoliavit.

[2]) Subtilius quam melius Schubert etiam harum rerum duos distinguit fontes propter duplicem, quam affert Herodotus, causam, cur Lacedaemonii foedus cum Croeso inierint: (c. 70) „*τούτων* (Croesi beneficiorum) *τε ὧν εἵνεκεν οἱ Λακεδαιμόνιοι τὴν συμμαχίην ἐδέξαντο, καὶ ὅτι ἐκ πάντων σφέας προκρίνας Ἑλλήνων αἱρέετο φίλους.*"

[3]) Apud Schubertum p. 92.

3. Deinde valde mirandum esset, oratione pedestri compositum esse hoc oraculum, si cum Schuberto ex eodem fonte Delphico quam „*οἶδα δ'ἐγὼ* . . .“ et „*ἀλλ' ὅταν ἡμίονος*“ derivandum esset. Respondes, casu hoc factum esse genuinamque formam inveniri apud Aristotelem[1]) et multos posteriores, quorum relatio etiam ad auctorem Delphicum referenda sit. At videtur versus ille inventus esse ab otioso aliquo Herodoti lectore, qui versum illo loco desiderabat, non a Delphico falsario, qui sane peritior erat sermonis chresmologici, quam qui tertiam personam in responso Croeso dato adhibuit. Perlegas, quaeso, totam, quam congessit Hendess ducentorum sedecim oraculorum collectionem, ac ne unum quidem invenies, ubi deus de homine, qui quaestionem certam ei posuit, tertia persona vaticinetur.

Has propter tres causas puto, non Delphis traditum esse Herodoto hoc oraculum de regno perdendo sociisque quaerendis datum, sive unum ab initio fuerit sive postea duae partes concreverint, sed sive Lacedaemone sive alibi, ubi testium non interfuit in maiorem dei gloriam mentiri.

Optime Benedict (p. 28) et Schubert (p. 102 sq.) oraculum c. 55 prolatum philodelpho attribuunt:

„ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται,
καὶ τότε, Λυδὲ ποδαβρέ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν μηδὲ μένειν μηδ'αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.“

A prudente neque indocto falsario hi versus compositi sunt tempore, cum iam fabula Medica de Cyri iuventute in Graecia vulgata erat. Cum Schuberto unum tantum mihi non convenit, quod ille verba „*πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον φεύγειν*“ ad secundam pugnam refert, in planitie Sardia commissam. Mea sententia oraculum monet Croesum, ne omnino pugnam cum Persis committat, et suadet ei, ut ex orientalibus regionibus se recipiat Sardis. Via aptissima receptui exercitus ferebat Sardis per superiorem Hermi vallem (*παρ' Ἕρμον φεύγειν.*)[2])

[1]) Rhet. III 5: „*Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.*“ cf. Hendess: Oracula Graeca. 96. (Diss. Hal. 1877.)

[2]) Concedas Schuberto, agere hoc oraculum de pugna secunda, concedas etiam, Steinii sententiam, qui Hylli commemorationem Iliadis loco (V 392) explicare studet, refutatam esse verbis „indessen hat Stein bei seinen Versuchen Homer-Reminiscenzen bei Herodot aufzuspüren, immer nur sehr wenig Glück,“ tamen causam, cur non in uno atque eodem fonte de Hyllo atque de fuga „*παρ' Ἕρμον*“ facta narrari potuerit, non invenio.

Mirum videtur, quod Herodotus dona, quae Delphis misit Croesus et compensationem eorum non cum hoc oraculo a philodelpho narrato coniungit sed cum praecedente aliunde accepto. At manifestum est, oraculum de regno perdendo datum ei fuisse praemittendum, quod quaestio, bellumne inferre posset Persis, inutilis fuisset prolata ab homine, qui iam ex praecedente oraculo sciret non nisi a mulo gubernatos eos esse timendos. Herodotus autem, cum oraculum metricum postposuisset alteri, intellexit, donariorum commemorationem desiderari, quod iterata oraculi consultatio non conveniret nisi donis pro priore responso missis. Cum fons Delphicus tantum donaria commemoraret, contaminator in locum priorem transferre ea coactus erat.

Estne etiam (c. 85) de muto filio fabula ex eodem fonte hausta, qui oracula praebuerat illa „Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει . . .“ „οἶδα δ'ἐγὼ ψάμμου . . .“ „ἀλλ' ὅταν ἡμίονος“? Delphicae originis indicium certe non est, quod haec historiola, ut paene omnes narrationes chresmologicae, testimonium est praescientiae divinae. Oraculum est:

„Λυδὲ γένος πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,
μὴ βούλου πολύευκτον ἰὴν ἀνὰ δώματ'ἀκούειν
παιδὸς φθεγγομένου, τὸ δέ σοι πολὺ λώιον ἀμφὶς [1])
ἔμμεναι αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.“

Versus 2 et 3 huius oraculi genuini esse videntur, nam quid aliud responderi potuit Croeso de filii lingua quaerenti? Adulescens fortasse postea, cum Sardes caperentur, terrore sanatus est,[2]) et minime exspectata haec curatio falsarium ad primum et quartum versum fingendum impulit. Haec explicatio rem philodelpho attribuere nobis permittit.

C 91 oraculum Delphicum se excusat apud Croesum de funestis consiliis. Hoc caput a viris doctis Benedicto (p. 29) et Schuberto (p. 114 sq.), quibus accedere videtur Busolt (II² 142), ex fonte Delphico derivatur. Sane iam Schubert verba: „δεύτερα δὲ τούτων καιομένῳ αὐτῷ (Croeso) ἐπήρκεσε

---

[1]) Schubring (De Cypselo Corinthiorum tyranno. Diss. Gotting. 1862.) p. 67 haud inepte dicit pro „ἀμφὶς“ genuinum oraculum praebuisse „ἐστιν.“ Idem putat, etiam primum versum genuinum esse, quod negaudum est propter „μέγα νήπιε.“

[2]) cf. A. Strümpell: Lehrbuch der speciellen Pathologie und Therapie der innern Krankheiten. Leipz. 189?, vol. III p. 581, 599.

(Loxias)" excepit propter locum praecedentem (c. 87) „ἐνθαῦτα λέγεται ὑπὸ Λυδῶν Κροῖσον ... ἐπιβώσασθαι τὸν Ἀπόλλωνα ἐπικαλεόμενον etc. etc." Nobis his verbis excipiendis addenda sunt haec: „κατὰ δὲ τὸ μαντήιον τὸ γενόμενον οὐκ ὀρθῶς Κροῖσος μέμφεται. προηγόρευε γὰρ ὁ Λοξίης, ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχὴν αὐτὸν καταλύσειν. τὸν δὲ πρὸς ταῦτα χρῆν εὖ μέλλοντα βουλεύεσθαι ἐπείρεσθαι πέμψαντα κότερα τὴν ἑωυτοῦ ἢ τὴν Κύρου λέγοι ἀρχήν. οὐ συλλαβὼν δὲ τὸ ῥηθὲν οὐδ᾽ ἐπανειρόμενος ἑωυτὸν αἴτιον ἀποφαινέτω." Cognovimus enim hoc de perdendo regno datum oraculum non manasse ex fonte philodelpho.

Difficilior quaestio est de loco: „προθυμεομένου δὲ Λοξίεω, ὅκως ἂν κατὰ τοὺς παῖδας τοῦ Κροίσου γένοιτο τὸ Σαρδίων πάθος καὶ μὴ κατ᾽ αὐτὸν Κροῖσον, οὐκ οἷόν τε ἐγένετο παραγαγεῖν Μοίρας. ὅσον δὲ ἐνέδωκαν αὗται, ἤνυσέ τε καὶ ἐχαρίσατό οἱ. τρία γὰρ ἔτεα ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν, καὶ τοῦτο ἐπιστάσθω Κροῖσος ὡς ὕστερον τοῖσι ἔτεσι τούτοισι ἁλοὺς τῆς πεπρωμένης." Auctor horum verborum uni hominum generi triginta tres annos attribuere solebat,[1]) quod minime redolet Delphos. Apollo enim tam subtili lege a scriptoribus genealogicis inventa, quam ipsa vita saepissime refutabat, se obstringere non potuit, nisi semper respondere voluisset hominibus quaerentibus, cur sive haec sive illa γενεή triginta trium annorum numerum non explevisset. Promptissima est suspicio, Herodotum ipsum trium illorum annorum esse inventorem, nam scimus non ignotum fuisse ei artificium illud chronologicum.[2]) [3])

Prooemium capitis 91 „τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ" locus communis est, qui vestigium Delphicae originis non praebet. Restant, quae Delphis at-

---

1) cf. p. 9. ann. 3.

2) cf. II 142.

3) Perperam Schubert (p. 12) iudicat, numerum 170 annorum natum esse ex compositione $(5 \times 33^1/_3) + 3$. Immo contra numerus 3 natus est ex $170 - (5 \times 33^1/_3)$. Iam enim auctor antiquior Herodoto, qui quattuor non tria genera uni saeculo tribuebat, numerum 170 cognitum habebat. Demonstratum hoc est a Gutschmidio apud ipsum Schubertum p. 8: 22 Heraclidae + 5 Mermnadae = 27 reges Lydii, $27 \times {}^{100}/_4$ anni = 675 anni, 675 — 170 anni, quibus Mermnadas regnasse traditum erat, = 505 anni (cf. I 7. Ἡρακλεῖδαι ... ἄρξαντες μὲν ἐπὶ δύο τε καὶ εἴκοσι γενεὰς ἀνδρῶν ἔτεα πέντε καὶ πεντακόσια παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεκόμενος τὴν ἀρχήν.)

tribui possint, duae tantum totius capitis particulae: altera, quae spectat ad oraculum Gygi datum, altera, quae explicat vaticinium de mulo rege prolatum. Sed, cum haec oracula, ut semper fit, facilia sint post eventum intellectu, cumque quam liber sit Herodotus in fingendis Pythiae verbis, intellexerimus, non dubito, quin totum hoc caput conclusio potius Croesiadis ab Herodoto eleganter inventa, quam narratio fontis Delphici sit religiose ab eo relata. Pessimum exemplum haec narratiuncula, si ex ore sacerdotum Delphicorum provenisset, omnibus hominibus eventu oraculorum non contentis praebuisset, nam ius rationis a deo repetendae eis concessisset.

Ita *Λυδικὸν λόγον* perlustrans ego quinque eius partes testibus Herodoti Delphicis attribuo, ubi narratur:

1. de Gygis usurpatione a deo confirmata,
2. de pace ab Alyatte deo iubente cum Milesiis facta,
3. de tentatione oraculorum,
4. de oraculo monente Croesum ut caveat mulum regem Persarum,
5. de muto filio sanato.

His historiolis satis fiebat omnibus, qui quaerebant, cur tantorum thesaurorum donatores interierint.

Ex Bacchylide scimus, fuisse, qui narrarent, Croesum ab Apolline ex rogo in Hyperboreorum fines translatum esse:[1])

„ἄπιστον οὐδὲν ὅτι θεῶν μέριμνα
τεύχει. τότε Δαλογενὴς Ἀπόλλων
φέρων ἐς Ὑπερβορέους γέροντα
σὺν τανισφύροις κατένασσε κούραις.“

Delphi fortasse auctores erant etiam narrationis Bacchylideae, quae sane antiquior esse videtur historiolis Herodoteis ex fonte philodelpho desumptis. Destinata est hominibus, qui sciebant Croesum fuisse bonum dei amicum dignum, qui ad Hyperboreos, homines sanctissimos, transferretur. Quae legimus

---

[1]) c. III (Blass.) v. 57 sq. Bacchylides ipse duas de Croeso servato narrationes contaminat, alteram, in qua ad Hyperboreos transponitur, alteram, in qua imber rogi flammas exstinguit. Non enim opus est exstinctione ignis ad eum transferendum. Fortasse etiam Pindarus similem praebuit narrationem, nam (Harpocration s. v. Ἄβαρις.) dixit, Abarin Hyperboreum aequalem fuisse Croesi.

apud Herodotum inventa esse videntur tempore, cum narrationes populares de Croeso captivo vulgatae fidem miraculi a Bacchylide celebrati imminuissent memoriaque rerum gestarum adeo evanuisset, ut verbis „*μέγα νήπιε Κροῖσε*“ et „*μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι*“ nova fraus non proderetur. Apud Bacchylidem sanctitate apud Herodotum dementia excellit Croesus.

CAPUT II.

De rebus Corinthiacis.

Vidimus quantum studium adhibuerint Delphici oraculi patroni ad memoriam parum prudentium oraculorum, quae Croesum perdiderant, oblitterandam. Etiam in Graecia ipsa domus regia, Apollinis Delphici amica, foedissime corruerat: Cypselidas dico, quibus omnes maledicebant. Quae res cum ita essent, sacerdotibus ingratissima esse debebant monumenta illa praeclara, quae et Olympiae et Delphis omnibus narrabant de amicitia, quae tyrannis cum oraculo fuisset. Herodotus tradit, quod remedium Delphi huic rei invenerint: tyranni thesaurus populo Corinthiaco attributus est.[1]) Elei autem similia denegabant[2]) neque omnino falsa inscriptio delere potuit memoriam lepidissimae illius historiolae, cui *κυψέλη* Olympiaca testimonio erat. Ita nil relinquebatur dei defensoribus nisi ipsius historiae mutatio. Videamus, procuratorne Apollinis Herodotus etiam hic fuerit.

Quae narrantur V. 92 de Cypseli infantia, una ex multis illis narrationibus est, quae iuventutem praeclarorum regum mire et fabulose illustrare solent: infante nato vaticinatio de futura eius gloria profertur; inimici ea ad insidias struendas impelluntur, quae casu mirabili[3]) irritae fiunt. Nemo non videt,

---

1) I 14: „*ἀληθέι δὲ λόγῳ χρεωμένῳ οὐ Κορινθίων τοῦ δημοσίου ἐστὶ ὁ θησαυρός, ἀλλὰ Κυψέλου τοῦ Ἠετίωνος.*“

2) cf. Pausan. V 2, 3. Plut. de Pyth. or. 13.

3) „*τὸν λαβόντα τῶν ἀνδρῶν θείῃ τύχῃ προσεγέλασε τὸ παιδίον.*“

talem fabulam regiae domui benevolentissimam subesse relationi Sosiclis tyrannophobi. Unum tamen obstat, quominus eam talem, qualem offert Herodotus, ab aulae tyrannicae poetis fictam esse putemus sive adiuvantibus Delphicis sacerdotibus sive non: oraculum:

„αἰετὸς ἐν πέτρῃσι κύει, τέξει δὲ λέοντα
καρτερὸν ὠμηστήν. πολλῶν δ'ὑπὸ γούνατα λύσει
ταῦτά νυν εὖ φράζεσθε, Κορίνθιοι, οἳ περὶ καλὴν
Πειρήνην οἰκεῖτε καὶ ὀφρυόεντα Κόρινθον."

His versibus non solum nobilibus sed omnibus Corinthiis periculum praedicitur imminens ab illo leone. Manifesto deus optimatium causam suscipit monens „ταῦτά νυν εὖ φράζεσθε." Eadem igitur quam ceterae narratiunculae huius oraculi origo non est. Videamus, num idem dicendum sit de oraculo:

„Ἠετίων, οὔτις σε τίει πολύτιτον ἐόντα.
Λάβδα κύει, τέξει δ'ὀλοοίτροχον· ἐν δὲ πεσεῖται
ἀνδράσι μουνάρχοισι, δικαιώσει δὲ Κόρινθον."

Mihi persuasum est, partem fuisse hoc oraculum fabulae genuinae, nam patri tyranni magnum pollicetur honorem Cypselumque ipsum „ἀνδράσι μουνάρχοισι" tantum perniciosum fore dicit.[1])

[1]) Busolt (I² p. 634 ann. 3) vertit „δικαιώσει" per „puniet" et dicit „Knapp, Die Kypseliden und die Kypseloslade, Korresp. f. d. Gelehrt. und Realschulen Württembergs 1888. (Separatabdr.) 7 fasst mit Duncker δικαιώσει nicht im Sinne von „κολάσει" auf, sondern übersetzt „er wird Korinth zum Recht verhelfen." Allein das widerspricht dem Sprachgebrauche Herodots (I 100, III 29) und, wie Stein zu dieser Stelle bemerkt, dem Sinne des zweiten Orakels. Übrigens wird auch sonst δικαιοῦν gerade in der Bedeutung von „jemandem sein Recht anthun = bestrafen" gebraucht. Thuk. III 40. Plat. Nom. XI p. 934, b; Plut. Ages. 23." Busoltio respondendum est, notionem vocis „δικαιώσει" pendere ex epicorum, quorum sermonem oracula usurpare solent, non ex Herodoti usu loquendi. At non invenitur apud epicos „δικαιόω." Tamen dicere possumus, eos hac voce non uti potuisse pro „strafen." Quinto demum saeculo, cum vox „δίκη" notionem poenae adepta esset, quam nondum habet apud epicos, etiam „δικαιοῦν κακόν" dici potuit pro „κολάζειν κακόν." — Verba denominativa in -όω haud ita raro notionem habent instruendi aliquid aliqua re; cf: θριγκόω, κνυζόω, μισθόω, στεφανόω, χαλκόω; cf. etiam, quae dicit de „δικαιοῦσθαι" Aristoteles in Eth. Nicom. V 11. (1136ª 30 „ἀδύνατον γὰρ ἀδικεῖσθαι μὴ ἀδικοῦντος ἢ δικαιοῦσθαι μὴ δικαιοπραγοῦντος") et de „δικαίωμα" l. l. V. 10 (1135ª 12 „καλεῖται δὲ μᾶλλον δικαιοπράγημα τὸ κοινόν, δικαίωμα δὲ τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος").

Tertium oraculum, quod affert Sosicles, est illud Cypselo ipsi datum:

„ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ ὃς ἐμὸν δόμον ἐσκαταβαίνει,
Κύψελος Ἠετίδης, βασιλεὺς κλειτοῖο Κορίνθου,
αὐτὸς καὶ παῖδες, παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες."

Apertum est, duos priores versus, qui tyrannum regem appellant, non esse natos post Cypselidarum interitum. Tertius, quem falsum esse nemo von videt, nobis in memoriam revocat illud oraculum Gygi datum, ubi etiam affirmatur, deum finem regni amicorum praesciisse.

Nonne suspicio promta est, falsarium philodelphum esse auctorem oraculi in contextu tam supervacanei „αἰετὸς . . ." et tertii versus oraculi „ὄλβιος οὗτος . . ."? Hoc modo omnibus monstrabatur, deum non amicum fuisse invisorum tyrannorum, immo contra studuisse eum, ut periculum ab optimatibus propulsaret et dixisse eum iam Cypselo non longinquum fore tyrannorum imperium. Haud inscite ad sua propaganda Delphi usi sunt fabula a Cypselidis ipsis comprobata, quae tum in omnium ore erat.[1])

---

[1]) Schubringii de his rebus opinio est, repugnare oraculum „αἰετός ἐν πέτρῃσι κύει" priori; non tamen diversorum auctorum sed falsitatis signum id esse. De fonte Herodoti dicit (p. 61): „exegetae et theori sine dubio etiam Corinthi erant, etsi, excepto Polyaeno V. 31, nusquam commemorantur. Hi homines, qui cum Delphicis vatibus coniunctissimi erant, una cum eis haec duo oracula tum, cum Cypselidarum tyrannis nondum conciderat, finxere, propterea, ut tyrannorum potentissimorum gratiam ac favorem sibi compararent, popularibus autem non sine dei auxilio tyrannum divitiis et opibus valentem ex obscuritate ad tantam claritudinem ascendisse ostenderent." Versum 1 et 2 oraculi „αἰετὸς ἐν . . ." natos esse putat ante 3 et 4, quod illi in anthologia (XIV 87) soli commemorarentur. Hoc indicium mihi non sufficit, nam ex Herodoti ipsius libris illa oraculorum collectio excerpta est.

Tertii oraculi versus priores Cypselo datos esse putat, deinde sub Periandri imperio accessisse: „αὐτὸς καὶ παῖδες," post Psammetichi mortem „παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες." Hanc versus divisionem firmare studet Dionis Chrysostomi loco (or. XXXVII p. 456), ubi verba „παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες" omittuntur. Verba rhetoris primi p. Ch. n. saeculi non ita possunt premi.

CAPUT III.

De rebus Cyrenaeis.

Inter infelices Apollinis amicos etiam Battiadae, Cyrenarum reges, erant, quorum de commercio cum oraculo Delphico intercedente Herodotus, (IV. 145 sq.) Menecles Barcaeus, (fr. 1.)[1]) Diodorus (VIII. 29.) verba faciunt, victorias Pythicas Pindarus praedicat (Pyth. IV. V.) Examinemus, quibus ex fontibus Herodotus, quae de eis narrat, hauserit.[2])

Incipiendum est inde a. c. 154, nam, quibus auctoribus usus sit Herodotus ad ea, quae antecedunt, conscribenda, ipse luculenter dicit c. 150 et 154.

Tria nobis servata sunt oracula versu heroico composita, quorum duo Doricae dialecti manifesta servaverunt vestigia:[3])

---

[1]) Schol. Pind. Pyth. IV. 10 = F. H. G. IV. p. 449.

[2]) Schubring (l. l. p. 6, 30, 42, 47, 56, 58) de fide potius quam de fonte oraculorum Cyrenaeorum verba facit.

Benedict (p. 33 sq.) eorum, quae Cyrenaei Herodoto tradiderunt, longe maximam partem Cyrenis ipsis natam esse arbitratur.

E. Mollmann („Herodots Darstellung der Geschichte von Kyrene." Progr. Königsberg i./Pr. 1889.) Cyrenaeorum narrationem emanasse dicit ex una continua memoria, cuius auctores fortasse fuissent responsorum oraculi Delphici administratores Cyrenenses, propagantes sacerdotum Delphicorum sententias.

F. Studniczka („Kyrene." Leipz. 1890.) Cyrenaeorum narrationem oraculis refertam ortam esse putat ex carmine composito post regum expulsionem, cuius auctor ei tamen fortasse etiam antiquiora quaedam immiscuisset (p. 95 sq.). Idem apud Roscherum (Mythol. Lex. II) caput de Cyrena scripsit.

E. Maass (Gött. gelehrt. Anz. 1890, 377 sq.) demonstrare conatur, apud Herodotum servatam esse in narrationibus Lacedaemoniorum, Theraeorum (— c. 149), Cyrenaeorum (c. 154—158) Eoeam „Hesiodeam" Euphemidarum gentem praedicantem, cuius auctor Lacedaemoniorum atque Delphorum partibus studuerit. Cf. Busolt I² p. 479 sq. II² p. 532 sq.

[3]) Maass (p. 379 ann. 1, 381 ann. 1) librarios antiquos Doridem his oraculis intulisse putat. Argumentum ei est forma pseudodorica „*μαλοτρόφον*" quae invenitur apud Plutarchum (de Pyth. or. c. 27 „*Λιβύαν μαλοτρόφον οἰσθας ἄρειον*") oraculum II laudantem. Contra Studniczka (apud Roscherum) docuit *α* in „*μαλοτρόφον*" non tam certe pseudodoricum esse, quod „malifer" aptissimum epithetum sit Libyae, horti Hesperidum (cf. p. 22 ann. 2). Qui concedit Maassio, Herodotum scripsisse „*μηλοτρόφον*," tamen praeferet existimare, pseudodorismum inter Herodoti et Plutarchi tempora in codices irrepsisse, quam impugnare formas Doricas propter

c. 157. **II.** „*αἱ τὺ ἐμεῦ Λιβύην μηλοτρόφον οἶδας ἄμεινον μὴ ἐλθὼν ἐλθόντος ἄγαν ἄγαμαι σοφίην σεῦ.*“

c. 159. **III.** „*ὃς δέ κεν ἐς Λιβύην πολυήρατον ὕστερον ἔλθῃ γᾶς ἀναδαιομένας, μετά οἵ ποκά φαμι μελήσειν.*“

Unum autem ne litteram quidem Doricam praebet:

c. 155. **I.** „*Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων ἐς Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα.*“

Iam igitur species dialectica huius oraculi nos monet, ne ab iisdem hominibus Cyrenensibus atque II et III Herodotum accepisse putemus. Accedit, quod coniuncta est cum oraculo I interpretatio vocis „*Βάττος,*“ quam secernit Herodotus expressis verbis a Theraeorum et Cyrenaeorum narrationibus.

Antequam de auctore harum rerum a fonte Cyrenaeo alienarum quaeramus, videamus, utrum Pindarus, ubi de Batto verba facit, hoc oraculum I ante oculos habuerit an aliud. Pindarus dicit (Pyth. IV. 4 sq. 59 sq.):

„*ἱρέα*
χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττον καρποφόρου Λιβύας“ [1])

et „*ὦ μάκαρ υἱὲ Πολυμνάστου, σὲ δ' ἐν τούτῳ λόγῳ* [2])
χρησμὸς ὤρθωσεν μελίσσας Δελφίδος αὐτομάτῳ κελάδῳ

---

pseudodorismum. Viros illos philologos valde stultos Maass fuisse putat, qui colorem Doricum oraculo II et III dedissent. Dicit enim „gegen die Dorismen der Herodothandschriften *αἱ τύ* stehen die ionischen Formen *Λιβύην, σοφίην.*“ Ita dialectum Doricam satis cognitam habebant ad scribendum *αἱ* et *τύ* pro *εἰ* et *σύ*, parum ad voces *Λιβύην* et *σοφίην* mutandas in *Λιβύαν* et *σοφίαν*! Nonne facilius est in librarios medii aevi culpam conferre litterae *η* pro *α* positae? Et miri illi auctores corruptelae a Maassio vituperatae cur oracula, quae apud Herodotum leguntur data Lacedaemoniis, Argivis non temptabant?

Alia quaestio est, num fortasse oraculorum genuina dialectus epica fuerit, quae a testibus Cyrenensibus demum in Doricam depravata sit. Etiam oracula a sacerdotibus Delphicis aut a poetis Cyrenensibus optimo sermone Homerico confecta in ore hominum indoctorum corrumpi potuerunt.

1) Maass (p. 380) etiam Medeae vaticinationem oraculo Pythico attribuit. Si Pindarus re vera totum hunc sermonem Pythiae subiiceret, artificium poeticum hoc esset neque exempli imitatio. Sed verba „*ὡς κτίσσειεν*“ et „*ἀγκομίσαιθ'*“ finem illius „*χρῆσεν*“ continere videntur, non summam oraculi. Vertendus locus est: „divinitus Battum conditorem Libyae appellavit, ut insula relicta conderet urbem Medeaeque verba vera redderet.“ Ad *χρᾶν* c. acc. dupl. cf. Euripidis Jon. 792: „*τίς οὖν ἐχρήσθη,*“ ubi supplendum est „*παῖς.*“

2) „Accommodate ad hunc sermonem,“ „huic Medeae vaticinio convenienter.“ (Boeckh.)

ἅ σε χαίρειν ἐστρὶς αὐδάσαισα[1]) *πεπρωμένον*
βασιλέ' ἄμφανεν Κυράνᾳ
δυσθρόου φωνᾶς ἀνακρινόμενον ποινὰ τίς ἔσται πρὸς θεῶν."

Ita Battus etiam apud Pindarum propter vocem invalidam consultat Apollinem et manifeste Pindarus loco priore laudat oraculi I verba: „*ἐς Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον*[2]) *οἰκιστῆρα·*"

Desideramus apud Herodotum eam oraculi partem, quam exprimunt Pindari verba: *πεπρωμένον βασιλέ' ἄμφανεν Κυράνᾳ.*" Praebent eam[3]) versus 3 et 8 oraculi, quod affert Diodorus (VIII. 29.):

„*Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων*
εἰς Λιβύην πέμπει καλλιστέφανον Κυρήνης
εὐρείης ἄρχειν καὶ ἔχειν βασιληίδα τιμήν.
ἔνθα σε βάρβαροι ἄνδρες, ἐπὰν Λιβύης ἐπιβήῃς,[4])
βαιτοφόροι (coni. Dindorf.) *ἐπίασι· σὺ δ' εὐχόμενος Κρονίωνι*
Παλλάδι τ' ἐγρεμάχῃ γλαυκώπιδι καὶ Διὸς υἱῷ
Φοίβῳ ἀκερσεκόμῃ νίκην ὑποχείριον ἕξεις,
καὶ μάκαρος Λιβύης καλλιστεφάνου βασιλεύσεις
αὐτὸς καὶ γένος ὑμόν· ἄγει δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων."

Huius oraculi vetustatem certissime confirmant verba „*βασιλεύσεις αὐτὸς καὶ γένος ὑμόν,*" quae post reges exactos nata esse non possunt. Non tamen omnes novem versus eundem habent auctorem. In versu secundo deest iussum urbis condendae, quod praebent Pindarus („*χρῆσεν οἰκιστῆρα*") et Herodotus („*πέμπει οἰκιστῆρα*"). Versus octavus idem dicit atque tertius. Iam manifestus est interpolator, qui vixit Phylarchi fere tempore, cum fingeretur fabula, non Battum fuisse

---

[1]) Benigna haec Batti salutatio a Pindaro poeta ipso inventa esse potest.

[2]) „*καρποφόρου*" respondet notioni „malifer" vocis „*μηλοτρόφος.*"

[3]) Effugit hoc Maassium (p. 380).

[4]) Pugnae cum indigenis sub Batti I regno commissae hoc oraculum testis est. In eis, quae Cyrenaei narrant apud Herodotum, testimonium simile latere mihi videtur: Narratur c. 158, deceptos esse colonos a Libyibus, qui eis pro loco Irasa longe praestantissimo locum, ubi postea Cyrenae conditae sint, monstrassent. Apud Herodotum Libyes ultro optimam sui agri partem Theraeis promisisse videntur. Mirandum tamen est, eos tum dolo Irasam sibi servare. Mihi quidem haec agri cessio bello impetrata esse videtur. Si hoc accipimus, intellegere possumus, cur Libyes coacti, ut pacem redimerent, Graecos noctu praeter Irasam traducant.

οἰκιστῆρα sed ab ipsa Cyrena nympha veniente „*μετὰ πλειόνων*“ urbem conditam esse.[1]) Plurane quam versus secundi pars ultima et versus tertius interpolatori debeantur, nescio. Constat propter versum 8 et 9 iam Pindaro notam fuisse huius oraculi a Diodoro laudati formam genuinam.[2])

Redeamus ad Herodoti oraculum I. Quis erat auctor, qui ad hos duos versus reduxit oraculum amplius, quod habebat Pindarus ex fabulis a regibus approbatis? — Solorum Delphorum intererat crimine falsae vaticinationis liberare Apollinem, qui verbis „*αὐτὸς καὶ γένος ὑμόν*“ Batti progeniei sine ulla exceptione imperium promisisse dicebatur. Fons Cyrenaeus, ex quo hausta sunt oracula Dorica II et III sine dubio oraculum Diodoreo simillimum Herodoto offerebat. Praetulit ille oraculum I coniunctum cum interpretatione vocis „*Βάττος*“ praebitum a teste philodelpho. Non incredibile est, audivisse eum explicationem vocis Libycae a Delphis, quos etiam post reges exactos cum Cyrenaeis commercium habuisse scimus.[3]) Etiam si recta est interpretatio „*Βαττος*“ = „*βασιλεύς*,“ facile intellegi potest, cur ipsis Cyrenis neglecta sit: hominibus Cyrenaeis magis placere debebat, nomen proprium regis Cyrenensis apud Libyes appellativum factum esse, quam, reges suos nomina propria ex barbarorum lingua desumpsisse.

Historia Batti Delphica propter novam explicationem vocis „*Βάττος*“ mirabilior est Cyrenensi. Fortasse Delphi „*ἐπὶ φωνὴν ἦλθες*“ interpretabantur „ad meam vocem venisti“ et praeteribant omnino invalidam Batti vocem. Tum testis Delphici silentio explicari posset, cur omisisset Herodotus narrationis partem, quae erat de voce terrore sanata, quam iure Maass nunc apud eum desiderat (p. 380.)

---

[1]) Phylarchi fr. 15 (F. H. G. I p. 337) = Schol. Apollon. Rhod. Arg. II 498. — De hoc iuniore mytho verba facit Studniczka p. 118.

[2]) In transcursu liceat mihi quaestionem ponere: Studniczka (p. 100) et Maass (p. 379), qui putant Pindarum designare oraculum I, iam apud Bentleyum suam legunt sententiam. (v Callimachea ed. Schneider I p. 180, excurs. ad hymn. II v. 67.) Re verane ea inest viri doctissimi verbis: „. . . . ipsum Battum novae coloniae *οἰκιστῆρα* indigitari verisimile est, ut in oraculo [sequitur oraculum I] et apud Pindarum Pyth. IV *χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττον καρποφόρου Λιβύας* . . .“?

[3]) cf. Paus. X. 13, 5, X. 15, 6.

Narratio Cyrenaeorum, quam sequitur Herodotus inde a c. 154, primis e Battiadarum gente regibus haud iniqua est.[1]) Prima igitur eius pars ex memoria a regibus approbata emanasse videtur. Tam referta sunt, quae leguntur inde a c. 154, oraculis, etiam parte philodelpha seiuncta, ut primo obtutu inclinemus ad Mollmanni (p. 16) illam sententiam, Herodoti auctores Cyrenenses fuisse fortasse responsorum oraculi Delphici administratores, qui divulgarent, quae sacerdotes Delphici ementiti essent. Duone ita tabulata aedificii philodelphi distinguenda sunt, quorum alterum recentius Herodotus Delphis ipsis, alterum vetustius Cyrenis accepit? Id esse negandum, examen harum narrationum docebit:

1) Oraculum, cuius rudimenta Diodorus servavit, oraculumque II, quod cum eo arte cohaeret, partes sunt narrationis, quae a multis illis fabulis de conditoribus narratis non valde diversa est. Causa, cur sacerdotes Delphici eam excogitaverint inveniri non potest. Sane Maass (p. 382) dicit, oraculo II arrogare sibi Apollinem Delphicum ea, quae antea narrata sint de Minyarum deo (*Νόμιος-Ὀπάων*) rapiente Cyrenam nympham. Certum est, Apollinem Pythicum et Nomium non a prima origine eandem fuisse personam divinam. Tamen haud dubium est, quin iam sexto a. Chr. n. saeculo nemo hoc sciverit neque opus fuerit poeta Delphico ad Apollinem pro Nomio substituendum. Illo tempore, cum mos vigebat, omnium oppidorum conditorum Loxiam auctorem praedicare, de unitate numinum Apollineorum nemo dubitabat.

2) Ego cum Benedicto (p. 45) oraculum III genuinum esse censeo. Dialectus Dorica, quae suspicionem movet Stud-

---

[1]) Iam hac de causa non licet partem Herodoti Laconico-Theraeam (— c. 149) cum Maassio, qui ipse concedit, eam ingratam esse regibus, ex eodem deducere fonte quam partem Cyrenensem (154—156). (Maass. p. 381.) Vetamur hoc etiam eo, quod Herodotus perspicue dicit c. 150: *‚μέχρι μέν νυν τούτου τοῦ λόγου Λακεδαιμόνιοι Θηραίοισι κατὰ ταὐτὰ λέγουσι, τὸ δὲ ἀπὸ τούτου μοῦνοι Θηραῖοι ὧδε γενέσθαι λέγουσι“* et c. 154 *„Κυρηναῖοι γὰρ τὰ περὶ Βάττον οὐδαμῶς ὁμολογέουσι Θηραίοισι. λέγουσι γὰρ οὕτω . . . .“* Si etiam Cyrenaei narrassent, quae leguntur c. 147—149, certe initio c. 150 diceret: *Λακεδαιμόνιοι Θηραίοισι καὶ Κυρηναίοισι κατὰ ταὐτὰ λέγουσι.* Fontis communis certe signum non est, quod Pindarus impugnat, quae narrantur 147—149, laudat, quae Cyrenaei dicunt c. 154 sq.

niczkae (p. 98) non argumentum est, fictum esse Cyrenis oraculum, sed acceptum ibi ab Herodoto.

3) Sequitur c. 161 oraculum Batto III regnante datum quaerentibus „ὅντινα τρόπον καταστησάμενοι κάλλιστα ἂν οἰκέοιεν,“ quod iubet Mantinea, „καταρτιστῆρα“ arcessere. Hoc responso oraculum Delphicum Battiadis infensum se ostendere coepit, nam homo, quem commendaverat „τῷ βασιλέι Βάττῳ τεμένεα ἐξελὼν καὶ ἱρωσύνας τὰ ἄλλα πάντα, τὰ πρότερον εἶχον οἱ βασιλέες ἐς μέσον τῷ δήμῳ ἔθηκε.“ Cur non genuinum sit hoc oraculum ego non video. Benedict et Studniczka[1]) spurium esse existimant: dicit ille, Mantinea compositorem arcessitum non esse, iam quod illa urbs legum claritate non praestitisset. Refutatum hoc eius argumentum est a Busoltio (I^2 p. 490 ann.) Alterum, quod profert, argumentum, Demonacticae mutationi rerum Delphicum oraculum favere non potuisse, cum adiuvaret postea Arcesilam III, non est accipiendum, quod usque ad hunc diem nemo probavit studium Apollinis Delphici fuisse sibi constans.

4) Inde a c. 162 narratio Cyrenaeorum iam manifesto odio reges prosequitur non gravius oblocuta ante hoc caput fabulis a regibus approbatis. Tamen non credo, mutasse Herodotum fontem. Testes eius populares conditori urbis regibusque, qui proxime eum sequebantur, cur obtrectarent, causam non habebant, quia tempora eorum remotiora erant. Aliter loquuntur de Arcesila III nisi iam de Arcesila II, qui discordia domestica Cyrenis maximam calamitatem intulisse et de Batto III, cuius auctoritas deo adiutore minuta esse dicitur. Apud Herodotum explicationem accuratiorem, quomodo Battiadae in odium testium Cyrenensium atque dei Delphici incurrerint, desideramus. Invenimus eam eo loco, ubi iam supra membrum eiusdem narrationis Cyrenensis, qua utitur Herodotus, latere vidimus. Legimus apud Diodorum VIII. 30.: „ὅτι Ἀρκεσίλαος ὁ τῶν Κυρηναίων βασιλεὺς δεινοπαθήσας ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς ἐπηρώτα εἰς Δελφούς. ἔχρησε δὲ ὁ θεὸς ὅτι θεῶν ἐστι μῆνις· τοὺς γὰρ ὕστερον βασιλεῖς οὐχ ὁμοίως ἄρχειν τῷ πρώτῳ Βάττῳ. ἐκεῖνον

---

1) Miror, Studniczkam (p. 99 ann. 13) hac in re ad Benedictum (p. 45) provocare, cum tamen summum eius argumentum, Demonactem non Mantinea vocatum esse sed iam inde a Batti II temporibus habitasse Cyrenis, non probare videatur (cf. p. 15, 120).

μὲν γὰρ αὐτῇ τῇ προσηγορίᾳ τοῦ βασιλέως ἀρκούμενον ἐπιεικῶς ἄρξαι καὶ δημοτικῶς, καὶ τὸ μέγιστον, τηροῦντα τὰς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμάς· τοὺς δὲ ὕστερον ἀεὶ τυραννικώτερον δυναστεύοντας ἐξιδιοποιήσασθαι μὲν τὰς δημοσίας προσόδους, ὀλιγωρῆσαι δὲ τῆς πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείας." Haec narratio copulat Batti I laudem cum progeniei infamia. Homines, qui putabant, Battum I „*αὐτῇ τῇ προσηγορίᾳ τοῦ βασιλέως*" contentum fuisse, ipsum colere, signum eius deo Delphico dedicare,[1]) posteris infensi esse poterant.

Iam accedamus ad oraculum c. 163 commemoratum. Arcesilas III Apollinem de reditu consulit. Responsum est ei, **I** Loxiam dare octo Battiadarum generibus, quattuor Battis et quattuor Arcesilais, imperium Cyrenense; plura ne tentanda quidem esse; **II** reversum regem quietum esse debere neque amphoras, si in fornace invenisset, excoquere, sed dimittere vento secundo, **III** si tamen eas excoxisset, circumfluam ei vitandam esse, nisi ipse cum pulcherrimo tauro mori vellet.[2])

---

[1]) Paus. X 15, 6. „*Κυρηναῖοι δὲ ἀνέθεσαν ἐν Δελφοῖς Βάττον ἐπὶ ἅρματι, ὃς ἐς Λιβύην ἤγαγε σφᾶς ναυσὶν ἐκ Θήρας. ἡνίοχος μὲν τοῦ ἅρματός ἐστι Κυρήνη, ἐπὶ δὲ τῷ ἅρματι Βάττος τε καὶ Λιβύη στεφανοῦσά ἐστιν αὐτόν· ἐποίησε δὲ Ἀμφίων Ἀκέστορος Κνώσιος.*" Amphion secundum Pausaniam (VI 5, 3) magister erat Pisonis Calauriensis, qui unus erat ex illis statuariis, qui post annum 405 donarium in memoriam pugnae apud Aegospotamos commissae fecerunt.

[2]) Benedict (p. 49) putat oraculum Cyrenis ortum ibique narratum esse Herodoto. Dicit tamen, haud respectis, quae ipse p. 35 dixerat, illam vaticinationem de octo regibus prolatam fortasse Delphis importatam esse Cyrenas.

Schubring (p. 58) existimat, Herodotum accepisse partem I Thuriis a sacerdotibus Delphicis mittentibus inter annum 431, quo Battus V, et 423, quo ipse mortuus sit. Hae res chronologicae inveteratae sunt. cf. Busoltium.

Studniczka (p. 13) partem II Cyrenis ortam argumentoque esse censet, etiam sub Batti III imperio figlinam Cyrenis floruisse.

Maass (p. 338) dicit, partem II fortasse Delphis fictam esse.

Crusius (Litterarisch. Central-Blatt 1890, p. 1141) partem II vix Cyrenis natam esse arbitratur, sed tanto clarius gloriae artis figlinae Cyrenensis testimonium eam esse.

Diels („Parmenides. Ein Lehrgedicht" p. 19, Berlin 1897.) totum oraculum a Battiadarum adversariis Cyrenensibus compositum esse putat.

Trium partium, quibus constat hoc oraculum, I et II lucidissimae sunt, III nemo sat luculenter explicare potest,[1]) nam, cur Arcesilas Cyrenas „ἀμφίρρυτον“ esse putaverit, curque Barca potius circumflua sit quam Cyrenae, plane obscurum est.

Simplex esse hoc oraculum non videtur.[2]) Inauditum enim est, deum uno eodemque oraculo aliquid iubere rationemque indicare, qua impune iussum neglegi possit. Facit hoc deus, cum monet Arcesilam, ne in circumfluam eat decoctis contra iussum amphoris. Suspicandum igitur est, diversis ex partibus concrevisse hoc oraculum. Qui eas iunxerat, fortasse versus heroicos solvere debuit.[3]) Pars I sane ab initio alterutri ceterarum adiuncta esse potest. Oraculum dicebat: „octo Battiadae regnabunt, te autem moneo ne in circumfluam eas“ aut „octo Battiadae regnabunt, te autem moneo, ne amphoras decoquas.“

Quis diversarum partium erat contaminator? Vaticinatio illa de octo regibus prolata simillima est oraculis de quinque Mermnadis et de duobus Cypselidis datis, quae fonti philodelpho attribuimus. Finis trium oraculorum idem est: mon-

---

[1]) Schubring (p. 6) dicit: „Quamquam enim etiam Cyrenae urbs ἀμφίρρυτος appellari potuit, vox tamen μὴ ἐσέλθῃς cogit, ut de alia quadam urbe cogitetur, nam Cyrenae rex habitavit.“ Respondendum ei est, regem ipso illo tempore, cum castellum combureret, non Cyrenis degisse. Deinde Schubring creberrimos circum Barcam nascentes fontes praedicat, cuius rei testis sit della Cella. Stein (ad h. l.) creberrimas paludes laudat Beecheyum testem afferens. Jam haec testimonia non congruunt suntque, qui etiam Cyrenarum regionem valde aquosam esse dicant, ita, quos affert Stein ad c. 158 (*ἐνθαῦτα γὰρ ὁ οὐρανὸς τέτρηται*): Arrianus (Ind. 43) „*εὔυδρος*“ et Pindarus (Pyth. IV 52) „(Battum) *κελαινεφέων πεδίων δεσπόταν.*“ Meo quidem iudicio oraculum non potest explicari maiore vel minore aquarum copia. Non probabilior interpretatio vocis „ἀμφίρρυτος“ est, quam fecit publici iuris Benedict (p. 49), „ἀμφίρρυτος“ forum aedificiorum mari circumfluum esse, et item alia a Studniczka (p. 99) prolata, forum hominibus circumfluum designari hac voce. Forum non est insula in turba hominum sita. Ego arbitror, desperandum esse de explicatione sufficiente vocis „ἀμφίρρυτος.“ Fortasse cohaeret cum hac re obscurissima locus ille parum lucidus: (c. 156) „*λέγεται δὲ ἴση εἶναι ἡ νῆσος* (Platea) *τῇ νῦν Κυρηναίων πόλι.*“

[2]) Vidit hoc etiam Schubring, qui argumento utitur hac re non contra simplicitatem sed contra genuinitatem tantum oraculi (p. 6).

[3]) De versuum heroicorum rudimentis cf. Mollmannum p. 22, Dümmlerum apud Studniczkam p. 99, Dielesium l. l. p. 19 sq.

strandi, deum praescientem amicorum interitum eos de futuris non celasse. Non nimium me contendere puto, cum etiam hoc oraculum de octo Battiadis datum cum parte adhaerente auctori philodelpho assignem. Herodotum ipsum res Delphis auditas narrationibus Cyrenensibus contaminasse existimo. Facilius enim est scriptori historico, quem iam antea in immiscendis narratiunculis philodelphis deprehendimus, culpam dare contaminationis quam testibus eius popularibus.

Restat, quaeramus, utrum pars II an pars III ab origine coniuncta sit cum parte I. Meo quidem iudicio e re erat oraculi Delphici post Battiadas expulsos vulgo credi, eis a deo frustra clementiam commendatam esse, non, deum Arcesilam III oraculo servare voluisse. Hanc ob rem puto, philodelphum fontem praebuisse partem I et II, non I et III. Accedit, quod pars III, quae est de circumflua illa nobis atque fortasse etiam Herodoto obscurissima, Cyrenensem originem eo magis redolet, quod loca Libyca designare videtur.

5) Ultimum oraculum de rebus Cyrenensibus datum Herodotus affert c. 203: Cyrenaei „*λόγιόν τι ἀποσιεύμενοι*“ Persis patefaciunt urbis portas. Non dicit Herodotus, unde hoc oraculum venerit. Nil pro, nil contra originis Delphicae suspicionem proferre possum. Philodelphus certe causam, cur Persis adiutis gloriaretur, non habebat.

Iam inspeximus omnia oracula in Herodoti historia Cyrenensi laudata. Quae cognovimus, breviter his verbis complectar:

Cyrenaei praebebant Herodoto unam continuam narrationem nisam partim fabulis iam a regibus approbatis partim hominum popularium opinionibus. Ex fonte philodelpho insertum est oraculum primum, quod epica dialecto compositum atque nova interpretatione vocis „*Βάττος*“ coniunctum est. Pindarus eius formam genuinam cognitam habebat, Diodorus interpolatam. Item prima pars oraculi contaminati Arcesilao III dati a testibus Delphicis Herodoto praebita est.

CAPUT IV.

De rebus Sicyoniis.

Rex, qui apud tyrannophobos Herodoti aequales in maxima erat infamia, Clisthenes erat Sicyonius. Apollo Delphicus etiam huius viri artissima amicitia ac protectione pollutus erat.[1]) Sane V. 67 Herodotus narrat, tyrannum accepisse oraculum, quo Adrastus rex, ipse „*λευστήρ*“ Sicyonis appellatus esset. Estne etiam hoc oraculum auctoris philodelphi opus, quem pudebat turpis dei amicitiae? Id affirmarem, si explicare possem, cur oratione soluta afferatur oraculum contra auctoris philodelphi consuetudinem. Fortasse Herodotus duas ex diversis fontibus haustas narrationes hic permiscuit, quarum ut unam alteri adaptaret, versus solvit. Etiam obscurum illud „*λευστήρ*“ fortasse propter contaminationem non explicatur. Certa tamen haec non sunt.

CAPUT V.

De rebus Siphniis.

III 57 et 58 Herodotus narrat de Siphniis ab exsulibus Samiis expilatis. Praemittit de opulentia eorum haec: „*τὰ τῶν Σιφνίων πρήγματα ἤκμαζε* <u>*τοῦτον τὸν χρόνον*</u>, *καὶ νησιωτέων μάλιστα ἐπλούτεον, ἅτε ἐόντων αὐτοῖσι ἐν τῇ νήσῳ χρυσέων καὶ ἀργυρέων μετάλλων, οὕτω ὥστε ἀπὸ τῆς δεκάτης τῶν γινομένων αὐτόθεν χρημάτων θησαυρὸς ἐν Δελφοῖσι ἀνακέεται ὅμοια τοῖσι πλουσιωτάτοισι· αὐτοὶ δὲ τὰ γινόμενα τῷ ἐνιαυτῷ ἑκάστῳ χρήματα διενέμοντο.*“ His ex verbis concludendum est, opulentiam insulae Herodoti temporibus iam

---

[1]) De necessitudine intercedente inter deum Delphicum et tyrannum Sicyonium cf. Busolt I² p. 693.

praeteriisse.[1]) Spoliationis causa apud Herodotum imprudentia est Siphniorum, qua neglexerant oraculum editum eis quaerentibus, *„εἰ αὐτοῖσι τὰ παρεόντα ἀγαθὰ οἷά τε ἐστὶ πολλὸν χρόνον παραμένειν.“* Dati eis erant versus:

„ἀλλ' ὅταν ἐν Σίφνῳ πρυτανήια λευκὰ γένηται
λεύκοφρύς τ' ἀγορή, τότε δὴ δεῖ φράδμονος ἀνδρὸς
φράσσασθαι ξύλινόν τε λόχον κήρυκά τ' ἐρυθρόν.“

Inventor historiolae nobis probare studet, piratarum illorum irruptionem causam fuisse gravissimam rerum Siphniarum mutatarum. Mihi videtur incredibile esse, talenta centum amissa tam efficax fuisse damnum. Multo verisimilior est causa, quam tradunt Pausanias (X 11. 2) et Suidas (s. v. *Σίφνιοι*): mari inundante metalla, divitiarum fontem, deleta esse. Auctoris Herodoti intererat, putare lectores, non maris vim sed ipsorum imprudentiam perdidisse Siphnios. Ecce philodelphi vestigium. Siphnii thesaurum splendidum Delphis habebant. Qui quinto saeculo eum videbat sciens eos ad minores opes redactos esse, quaerere potuit, cur deus Delphicus amicos tam munificos non melius protexisset. Sacerdotes non poterant respondere, Siphnios monitos esse, ut caveant vim maris; nam hoc inutile fuisset. Fingenda igitur eis erat historiola, qua monstraretur, homines, non mare causam fuisse detrimenti. Homines cavere poterant Siphnii moniti a deo. Cum versus neglexissent, in ipsos, non in deum culpa conferri poterat. Ita philodelphus causam detrimenti veram compensavit illo Samiorum raptu.[2])

---

[1]) Non obstat, quod dicit Stein ad. h. l.: „Für den Metallreichthum der Insel zeugt auch, dass sie noch hundert Jahre später einen das Verhältniss ihrer Grösse weit übersteigenden jährlichen Tribut an Athen zu zahlen hatte.“ Scimus Cythnios, Siphniorum vicinos, idem quod illi vectigal, tria talenta, pendere debuisse a. 454—440. Belli Peloponnesiaci demum temporibus, Cythniis sex tantum talenta imposita erant, Siphniis novem. Haec differentia non tanta est, ut liceat dicere „einen das Verhältniss ihrer Grösse weit übersteigenden jährlichen Tribut.“ (C. J. A. I no. 230, 236, 37, cf. C. J. A. I p. 234, cf. etiam Beloch. (Griechische Geschichte) I p. 402.)

[2]) Posterioribus demum temporibus fingebatur, quod tradunt Pausanias et Suidas, Siphnios desiisse decumas metallorum mittere Apollini; quam ob rem inundationem illam factam esse. Quinto saeculo omnes sciebant, re vera ordine inverso factas esse has res.

CAPUT VI.

De rebus Aegineticis.

U. Köhler[1]) et U. de Wilamowitz[2]) viderunt narrationem, quam profert Herodotus V 89 de oraculo Atheniensibus de bello Aeginetico dato, rerum gestarum seriei falso loco insertam esse: anno 457 Aegina superata est; Aeginetae a. 487 Atheniensibus cladem intulerant.[3]) Spatium triginta annorum, quod in oraculo illo commemoratur, indicat, vaticinationem pertinere ad bellum anni 487 non ad res anno 506 gestas.

Si idem Athenienses, qui Herodoto ceteram rerum Aegineticarum materiem praebebant, etiam hoc oraculum finxissent, tam pravo loco vix collocatum esset. Fontium diversitas etiam ex eo aperta fit, quod narratur c. 79—81,[4]) Pythiam incitasse Aeginetas contra Athenienses, c. 89, eam promisisse eodem illo tempore Atheniensibus, eos subacturos esse Aeginetas. Qui finxit oraculum capitis 89, sumpserat, Athenienses eos esse, qui aggrederentur. Re vera Aeginetae bellum anni 506 intulerant.[5]) Fons, ex quo provenit hoc oraculum Atheniensis non est. Athenienses sciebant, a Xerxe et Mardonio omnia delubra eversa esse, neque dixissent Herodoto, Aeaci temenos, quod medio demum quinto saeculo conditum est,[6]) tam vetustum esse. Narrator excusationem et maiorem gloriam dei Delphici spectasse videtur. Fortasse anno 487 oraculum re vera Athenienses impulerat ad bellum illud, quod infelicem exitum habebat, suscipiendum. Inter Aeginetas et Apollinem illo tempore inimicitias intercessisse ex eo concludere possumus, quod post pugnam Salaminiam provocatione opus est ad

---

[1]) „Die Halle der Athener in Delphi.“ (Rhein. Mus. 46 (1891) p. 1—8.)

[2]) „Aristoteles und Athen“ II p. 280—88.

[3]) cf. Wilamow. ll. et Busolt. II p. 645 ann.

[4]) De hoc oraculo cf. Wilamow. ll. p. 282 — Auctor narrationis propter manifestum Aeginetarum odium Atheniensis esse videtur. cf. c. 82: „*Αἰγινῆται . . . πόλεμον ἀκήρυκτον Ἀθηναίοισι ἐπέφερον.*“

[5]) V 89 „*Αἰγινῆταί τε δὴ ἐδηίουν τῆς Ἀττικῆς τὰ παραθαλάσσια.*“

[6]) Demonstratur hoc a Wilamowitzio p. 281 ann. 3.

donarium ab Aeginetis obtinendum.[1]) Videntur noluisse cum deo commercium habere, qui eos paucis annis ante prodiderat. Ita ego audeo etiam hoc oraculum assignare philodelpho. Versuum heroicorum absentia explicari potest eo, quod cum loco inepto, ubi collocabat Herodotus oraculum, non quadraverint.

CAPUT VII.

De rebus Persicis.

Antequam de oraculis agamus bellorum Persicorum tempore datis, examinanda nobis sunt, quae narrat Herodotus VIII 35—39 de Persis Delphos spoliare tentantibus. Viri docti, qui de hac re amplius disseruerunt minime concordant.

---

[1]) cf. VIII 122: *„πέμψαντες δὲ ἀκροθίνια οἱ Ἕλληνες ἐς Δελφοὺς ἐπειρώτεον τὸν θεὸν κοινῇ εἰ λελάβηκε πλήρεα καὶ ἀρεστὰ τὰ ἀκροθίνια. ὁ δὲ παρ' Ἑλλήνων μὲν τῶν ἄλλων ἔφησε ἔχειν, παρὰ Αἰγινητέων δὲ οὔ, ἀλλὰ ἀπαίτεε αὐτοὺς τὰ ἀριστήια τῆς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίης.“* Stein (ad *„ἀριστήια“*) dicit: „der Gott will selber thätigen Antheil am Siege gehabt haben und verlangt dafür seinen Ehrenlohn. Vermutlich war ein ihm zugeschriebenes günstiges Wunderzeichen dem ägin. Geschwader begegnet.“ Busolt (II² p. 716) locum Herodoteum aliter explicat: „Nach dem Urtheile der Eidgenossen hatten sich die Aegineten am meisten in der Schlacht ausgezeichnet. Diese weihten dafür einer Aufforderung des Gottes folgend, nach Delphi einen ehernen Mastbaum mit drei goldenen Sternen.“ Ita Stein Apollini, Busolt Aeginetis attribuit *ἀριστήια*. Meo iudicio Aeginetas, qui deo donis non satisfecerant, sacerdotes eo tantum commoverunt ad neglectum explendum, quod adulantes *ἀριστήια* ipsorum ab eis poposcerunt. Apollo ipse pugnae Salaminiae non interfuerat. Suffragiis a Graecis de virtute in pugna Salaminia praestita latis, sacerdotes niti non poterant, nam plane eadem, quae dicit Busolt de praemiorum distributione post pugnam Plataeensem facta, etiam has in res cadunt: II² p. 739 ann. 3. „Herodotus wusste aber nichts von der förmlichen Erteilung des Aristeions und sagte, dass sich die Lacedaemonier am tapfersten gezeigt hätten, ... Ephorus hat diese Meinung H's als Thatsache hingestellt etc.“ Herodotus etiam hic nil dicit nisi (VIII 93): *„ἐν δὲ τῇ ναυμαχίῃ ταύτῃ ἤκουσαν Ἑλλήνων ἄριστα Αἰγινῆται, ἐπὶ δὲ Ἀθηναῖοι.“* Ephori testimonium (Diod. XI. 27. 55.) Busolt ipse aspernatur II² p. 716 ann. 2 et 4. Sacerdotes igitur ad permulcendos Aeginetarum animos ipsi iudicium de virtute eorum fecerant.

Wecklein[1]) totam narrationem fabulam sacerdotalem esse putat, Pomtow[2]) mirabilibus tantum demptis eam veram esse censet, Busolt (II² p. 689 sq.) caute dicit, verisimile esse, Persas esse repulsos a Delphis et Phocensibus, qui fortasse tempestatibus adiuti essent. Ego cum Weckleinio facio; tamen liceat mihi, cum non plane iisdem argumentis nitar, meam opinionem explanare.

Habemus duos[3]) harum rerum testes antiquos, Herodotum et Ephorum, quorum narrationes accuratius inspiciendae sunt: Herodotus dicit, Delphos deum, cum audivissent partem exercitus Persici appropinquare, consuluisse de rebus sacris servandis; Apollinem respondisse, nil esse loco movendum, se ipsum sua defendere posse; hoc oraculo accepto illos in tutum contulisse liberos et uxores, ipsos in Parnassi verticem et antrum Corycium Amphissamque fugisse; Delphis neminem nisi Aceratum prophetam cum sexaginta viris remansisse; hunc, cum iam templum conspexissent barbari advenientes, vidisse arma sacra extra aedem iacere, Delphisque praesentibus prodigium nuntiasse; barbaros autem territos, cum iam ad Minervae Pronaeae fanum accessissent, fulminibus, duobus Parnassi cacuminibus decidentibus, clamore ex Minervae templo personante fugisse; Delphos, cum fugientes eos vidissent, descendisse multosque occidisse; postea Persas superstites narrasse, vidisse sese duos viros humanae magnitudinis modum excedentes, qui multos trucidarent; Delphos scire horum heroum nomina: Phylacum esse et Autonoum, quorum fana Delphis exstarent; item „ἐς ἡμέας" omnes homines posse admirari rupes illas Parnassias.

Si talem et miraculis et rebus verisimilibus refertam legimus narrationem, quaestio animum nostrum subit, utrum sana olim relatio corrupta sit rebus mirabilibus immixtis, an pia fabula rebus naturalibus verisimilior facta. Hic mihi illud negandum hoc affirmandum esse videtur. Deus ipse dicit, sua sese defensurum esse; sexaginta illis homunculis non opus

---

[1]) N. Wecklein: „Über die Tradition der Perserkriege." (Sitzungsber. d. bayr. Ak. Phil.-hist. Cl. 1876, p. 239—314.)

[2]) H. R. Pomtow: „Untersuchungen zur griechischen Geschichte." (Jahrb. für Phil. u. Paed. 129 (1884) p. 225—263.)

[3]) Insana, quae profert Ctesias (fr. 29, § 25, 27) unanimi omnes neglegunt (cf. etiam Plut. Numa 9).

est. Additi sunt ab homine parum credulo. Genuinam narrationem eos non praebuisse efficitur ex eo, quod propheta solus prodigiosa arma illa extra aedem iacentia videt quodque a barbaris superstitibus, non a Delphis, narratur de heroibus succurrentibus. Auctor narrationis Herodoteae putabat facilius credi posse fabulam, si non sacerdotem illum solum sed parvam etiam Delphorum manum remansisse narraret, sique non ostentis tantum sed etiam ab hominibus barbaros pulsos esse affirmaret, neque oblitus est adiungere, prophetam sine mora sexaginta illis defensoribus de prodigio narravisse. Hucusque Herodoti auctor iam faciliorem reddidit fidem.

Homo tam credulus Ephorus, Diodori (XI 14.) et Justini (II 12.) auctor, non erat: omittit arma divina et clamorem prodigiosum et heroes persequentes barbaros; tempestas apud eum omnium causa est.[1]) Sane affert testem, qui pro sua etiam parte amovet mirabilia alia tamen via: „*οἱ δὲ Δελφοὶ τῆς τῶν θεῶν ἐπιφανείας ἀθάνατον ὑπόμνημα καταλιπεῖν τοῖς μεταγενεστέροις βουλόμενοι τρόπαιον ἔστησαν παρὰ τὸ τῆς προναίας Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἐν ᾧ τόδε τὸ ἐλεγεῖον ἐνέγραψαν·*

μνᾶμά τ' ἀλεξάνδρου πολέμου καὶ μάρτυρα νίκας
Δελφοί με στᾶσαν, Ζανὶ χαριζόμενοι
σὺν Φοίβῳ πτολίπορθον ἀπωσάμενοι στίχα Μήδων
καὶ χαλκοστέφανον ῥυσάμενοι τέμενος.“

Titulus hic Delphicus nobis non maioris pretii est meo quidem iudicio ad res gestas perspiciendas quam tumuli illi Plataeenses ossibus vacui, structi, ut posteritatem fallerent (IX 85). Pomtow (p. 241) et Busolt (II² p. 690 ann. 1) eo ad suam sententiam tuendam uti iuste nolunt, quod Herodoti temporibus tropaeum illud omnino nondum exstitisse videtur. Scriptor enim, qui tot monumenta ac epigrammata laudavit, vix tacuisset de tropaeo statuto in memoriam victoriae tam copiose ab ipso celebratae, cum Croesi clipeum et magnos

---

1) „. . . *προῆλθον μὲν μέχρι τοῦ ναοῦ τῆς προναίας Ἀθηνᾶς, ἐνταῦθα δὲ παραδόξως ὄμβρων τε μεγάλων καὶ κεραυνῶν πολλῶν ἐκ τοῦ περιέχοντος πεσόντων, πρὸς δὲ τούτοις τῶν χειμώνων πέτρας μεγάλας ἀπορρηξάντων εἰς τὸ στρατόπεδον τῶν βαρβάρων συνέβη διαφθαρῆναι συχνοὺς τῶν Περσῶν, πάντας δὲ καταπληγέντας τὴν τῶν θεῶν ἐνέργειαν φυγεῖν ἐκ τῶν τόπων.*“ cf. Iustinum: „. . . quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est.“

lapides in eodem illo Minervae Pronaeae fano visos commemoratus esset!

Auctor tituli miracula fabulae non tempestate sed hominum operibus compensavit. Inconsiderate igitur hos versus Ephorus, si re vera ipse etiam huius rei fons est, narrationi suae adiunxit. Non mirandum est, Delphos praetulisse hunc modum quo fabulam verisimiliorem redderent Ephoreo illi, nam ipsorum gloria, plane neglecta, si tempestates solae Persas depellunt, maxime augetur, si ipsi sunt „*σὺν Φοίβῳ πτολίπορθον ἀπωσάμενοι στίχα Μήδων καὶ χαλκοστέφανον ῥυσάμενοι τέμενος.*“

Ad meam de his rebus prolatam sententiam illustrandam hoc adscribam stemma:

pia fabula

auctor, qui narrabat, homines illarum rerum non plane expertes fuisse.

Herodotus.

Auctor tituli Delphici, qui Delphis maximam gloriam vindicabat.

Ephorus,

qui, quae legerat apud Herodotum prodigiosa, tempestate compensavit neque tamen, ut homo antiquarius, abstinere potuit ab inscriptione, quae ipsius relationi repugnabat, afferenda.

Nos antiquos historicos ne imitemur! Concedamus genuinam narrationis formam piam fabulam fuisse, ex qua historiam extorquere non liceat.

Weckleín pro sua sententia attulit etiam verba Mardonii (IX 42), quae dixit ante pugnam Plataeensem: „*ἔστι λόγιον ὡς χρεόν ἐστι Πέρσας ἀπικομένους ἐς τὴν Ἑλλάδα διαρπάσαι τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Δελφοῖσι, μετὰ δὲ τὴν διαρπαγὴν ἀπολέσθαι πάντας. ἡμεῖς τοίνυν αὐτὸ τοῦτο ἐπιστάμενοι οὔτε ἴμεν ἐπὶ τὸ ἱρὸν τοῦτο οὔτε ἐπιχειρήσομεν διαρπάζειν, ταύτης τε εἵνεκα τῆς αἰτίης οὐκ ἀπολεόμεθα.*“ His ex verbis Wecklein (p.

265 sq.) effici putat, Herodotum ipsum non credidisse illam narrationem VIII 35—39 prolatam. Busolt[1]) contra eum disputat, quod non dixerit Mardonius, Persas nil contra deum suscepisse sed nil eos suscepturos esse. Haec re vera ita nunc se habent neque tamen semper se habebant. Mihi futurorum „ἴμεν“ et „ἐπιχειρήσομεν“ auctor Herodotus ipse fuisse videtur, qui studebat hoc modo adaptare historiolam eis, quae antea de Persarum expeditione contra deum facta narraverat. Non opus erat, cum iam statutum esset apud duces proximo die committendam esse pugnam, ad Graecorum imperatorum animos confirmandos promisso „οὔτε ἴμεν οὔτε ἐπιχειρήσομεν.“ Ego exspectaverim: neque ivimus, neque conati sumus. Minime necesse erat, Mardonium dicere, sese illa nocte ante supremam atque maximam pugnam, in qua summa belli versabatur, Apollinis Delphici templum non spoliaturum esse.

Vidit Busolt, Mardonii apophthegma signum veritatis habere haud obscurum: oraculum eventu non comprobatur. Audeo igitur etiam hac narratiuncula uti argumento contra veritatem omnium, quae VIII 35—39 narrantur. De hac sententia Pomtow me non deducit, qui scribit (p. 251): „. . . darum war es für Herodotus persönlich auch kein Widerspruch, den persischen Feldherrn versichern zu lassen, sie, d. h. die Repräsentanten der Perser, Xerxes und Mardonios, unternähmen officiell keine Epedition nach Delphoi, denn jenem Raubzug von Plünderern und Nachzüglern brauchten sie, selbst wenn er ihnen zu Ohren gekommen war, keinerlei Beachtung gezollt und ihn nicht des Aufhebens wert geachtet zu haben.“ At, cum de bello quinti a. Ch. n. saeculi agatur, non licet distinguere inter milites, qui „officiell“ expeditiones suscipiunt et „ein beträchtlicher Haufe barbarischen Gesindels, Plünderer und Marodeure“ (p. 250). Exercitus ille Persicus non institutus erat disciplina Borussica.

---

[1]) II² 690. Pomtow (p. 248 sq.) Busoltii argumentum appellat „Scheinausflucht,“ nam „τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ καὶ τὸ ποιῆσαι ἴσον δύνασθαι“ creditum esse a piis Graecis et ab Herodoto, pio narratore. Tam facilis Busoltii refutatio non est. Hic enim ratio non habenda est opinionis Graecae et Herodoteae sed Mardonianae, et, cur Mardonio respectus illius ne aptae quidem huic loco sententiae tribuendus esset, causa non exstabat.

Scire debebat Xerxes, quibus rebus opus esset ad amicos ab ipsius militibus defendendos. Aut benevolus Delphis rex impediebat suos, quominus templum aggrederentur, — tum absurdum erat, eos obsequium violare ad eum finem, „*ὅκως συλήσαντες τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Δελφοῖσι βασιλέι Ξέρξῃ ἀποδέξαιεν τὰ χρήματα* — aut nil fecit ad deum servandum — tum Mardonius crimen a Persis amoliri non potuit.

Certum atque ab omnibus concessum est, a Delphis narratum esse Herodoto de Persarum repulsione. Erantne hi Delphi iidem, qui narrationes apologeticas de Croeso, Cypselo, aliis fictas ei suppeditaverant? Nescio. Fortasse huius narrationis simplex periegeta, qui rupes illas peregrinis ostendebat, auctor ei erat. — De fonte eorum, quae leguntur IX 42, nil dicere possum: de Delphis propter VIII 35 sq. cogitare non possumus. Sane, quae dicit Herodotus IX 43, non Persas sed Illyrios et Encheleas spectasse oraculum, fortasse a philodelpho audivit.[1])

Accedamus iam ad oraculum datum Delphis ipsis, qui consuluerant Apollinem „*ὑπὲρ ἑωυτῶν καὶ τῆς Ἑλλάδος καταρρωδηκότες*“ (VII 178). De responso accepto, ventos esse implorandos, omnes libertati studentes certiores fecerunt. „*μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Δελφοὶ τοῖσι ἀνέμοισι βωμόν τε ἀπέδεξαν ἐν Θυίῃ, τῇ περ τῆς Κηφισοῦ θυγατρὸς Θυίης τὸ τέμενός ἐστι, ἐπ' ἧς καὶ ὁ χῶρος οὗτος τὴν ἐπωνυμίην ἔχει καὶ θυσίῃσί σφεας μετήισαν.*“ Periegetam haec narratio redolet monstrantem Herodoto aram, cui inscripti erant versus,[2]) quorum unum „*ἐξαγγείλαντες χάριν ἀθάνατον κατέθεντο*“ servavit. Auctor philodelphus hac re vix gloriatus est, nam auxilium latum Graecis a ventis, non tantum fuit,[3]) ut hoc oraculo dei defensores valde se iactare possent. Ipse sane modes-

---

[1]) cf. Busolt II² p. 690: „Es liegt der Gedanke nahe, dass das Orakel in Umlauf gesetzt wurde, als Mardonios in Hellas zurückblieb, um ihn, der auf hellenische Orakelweisheit etwas gab (Hdt. VIII 133 ff.), von jedem Versuche auf das Heiligthum abzuschrecken. Als es dann nicht in Erfüllung ging, bezogen es die Priester auf die Illyrier und Encheleer.“

[2]) Hac in re sequor Pomtowium p. 255.

[3]) cf. VIII 66: „*ἀντιθήσω γὰρ τοῖσί τε ὑπὸ τοῦ χειμῶνος αὐτῶν ἀπολομένοισι καὶ τοῖσι ἐν Θερμοπύλῃσι καὶ τῇσι ἐπ' Ἀρτεμισίῳ ναυμαχίῃσι τούσδε τοὺς τότε οὔκω ἑπομένους βασιλέι . . .*“

tus vaticinationis eventus signum est, eam re vera prolatam esse. Cui accedit, quod fortasse non solum „*Ἑλλήνων τοῖσι βουλομένοισι εἶναι ἐλευθέροισι*“ nuntiatum est, ventos esse invocandos, sed etiam eorum adversariis, ut sacerdotes post Graecorum cladem dicere possent, classis regiae salutem Apollini cordi fuisse.

Ex fonte Atheniensi hausta sunt, quae legimus VII 189 de Borea.[1]) Meo iudicio minime cohaeret hoc oraculum cum illo,[2]) quod Delphis datum est. Obstat, quod Boreas auxilium tulit Atheniensibus iam, cum classem Mardonianam apud Athonem[3]) deleret et quod omnino non dicitur Delphicum fuisse hoc oraculum.[4])

Philodelphi manus aperta est in eis, quae legimus VII 140 et 141.[5]) Genuinum est oraculum **I**:

„*ὦ μέλεοι, τί κάθησθε; λιπὼν φεῦγ' ἔσχατα γαίης*
δώματα καὶ πόλιος τροχοειδέος ἄκρα κάρηνα.
οὔτε γὰρ ἡ κεφαλὴ μένει ἔμπεδον οὔτε τὸ σῶμα,
οὔτε πόδες νέατοι οὔτ' ὦν χέρες, οὔτε τι μέσσης
λείπεται, ἀλλ' ἄζηλα πέλει κατὰ γάρ μιν ἐρείπει
πῦρ τε καὶ ὀξὺς Ἄρης, Συριηγενὲς ἅρμα διώκων.
πολλὰ δὲ κἄλλ' ἀπολεῖ πυργώματα κοὐ τὸ σὸν οἶον·
πολλοὺς δ'ἀθανάτων νηοὺς μαλερῷ πυρὶ δώσει,
οἵ που νῦν ἱδρῶτι ῥεούμενοι ἑστήκασι,
δείματι παλλόμενοι, κατὰ δ'ἀκροτάτοις ὀρόφοισι
αἷμα μέλαν κέχυται, προϊδὸν κακότητος ἀνάγκας.
ἀλλ' ἴτον ἐξ ἀδύτοιο, κακοῖς δ'ἐπικίδνατε θυμόν.“

---

[1]) „*οἱ δ'ὦν Ἀθηναῖοι σφίσι λέγουσι βοηθήσαντα τὸν Βορέην πρότερον καὶ τότε ἐκεῖνα κατεργάσασθαι, καὶ ἱρὸν ἀπελθόντες Βορέω ἱδρύσαντο παρὰ ποταμὸν Ἰλισόν.*“

[2]) Pomtow dicit (p. 255): „das zweite Orakel, das von dem andern (VII 178) nicht zu trennen und nur dessen Specialisierung und Anwendung auf die Athener ist, steht VII 189.“

[3]) cf. VI 44: „*τὸν Ἄθων περιέβαλλον* (naves Persicae). *ἐπιπεσὼν δέ σφι περιπλέουσι βορέης ἄνεμος μέγας τε καὶ ἄπορος κάρτα τρηχέως περιέσπε.*“

[4]) Pomtow (p. 255 ann.) dicit, Herodotum omisisse Delphicam huius oraculi originem indicare „weil er es nicht aus delphischer Tradition oder in Delphoi, sondern aus athenischem Munde entnahm.“ Mirum hoc argumentum refutatur multis locis Herodoteis, affero e. g. I 174. Item vox „*ἄλλου*“ non indicat, hoc oraculum venisse ex eodem loco ac illa, quae commemorantur VII 140 et 141.

[5]) cf. Busolt II² p. 661 sq.

A philodelpho interpolatum est oraculum **II**:

„οὐ δύναται Παλλὰς Δί' Ὀλύμπιον ἐξιλάσασθαι
λισσομένη πολλοῖσι λόγοις καὶ μήτιδι πυκνῇ.
σοὶ δὲ τόδ' αὖτις ἔπος ἐρέω ἀδάμαντι πελάσσας.
τῶν ἄλλων γὰρ ἁλισκομένων, ὅσα Κέκροπος οὖρος
ἐντὸς ἔχει κευθμών τε Κιθαιρῶνος ζαθέοιο,
τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τὸ σὲ τέκνα τ' ὀνήσει.
μηδὲ σύ γ' ἱπποσύνην τε μένειν καὶ πεζὸν ἰόντα
πολλὸν ἀπ' ἠπείρου στρατὸν ἥσυχος, ἀλλ' ὑποχωρεῖν
νῶτον ἐπιστρέψας· ἔτι τοί ποτε κἀντίος ἔσσῃ.
ὦ θείη Σαλαμίς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν
ἤ που σκιδναμένης Δημήτερος ἢ συνιούσης.“

Nemo non videt ultimos duos versus oraculi II post pugnam Salaminiam fictos esse ab homine, cui cordi erat Apollinis gloria. Ab eodem Herodotus etiam nomen Pythiae Aristonicae ominosum illud accepisse videtur.

Quaeri potest, qui versus oraculi II praeter ultimos duos spurii sint. Hendess [1]) suspicatur, genuinam oraculi formam fuisse:

„τεῖχος Ἐρεχθείδαις ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν διὰ Παλλάδα κούρην
μηδὲ σύ γ' ἱπποσύνην τε μένειν καὶ πεζὸν ἰόντα
νῶτον ἐπιστρέψας. ἔτι γάρ τοί κἀντίος ἔσται.“

Nititur scholio Aristophaneo (in equit. 1040), ubi hanc formam oraculum habet:

„τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
μοῦνον ἀπόρθητον τελέειν διὰ Παλλάδα κούρην.
μηδὲ σύ γ' ἱπποσύνην μενέειν καὶ πεζὸν ἰόντα
νῶτον ἐπιστρέψαις. ἔτι γάρ τοι κἀντίος ἔσται.
ὦ θείη Σαλαμίς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν
ἤ που σκιδναμένης Δημήτερος ἢ συνιούσης.“

Versum „πολλὸν ἀπ' ἠπείρου στρατὸν ἥσυχος ἀλλ' ὑποχωρεῖν,“ qui deest in scholio, spurium esse censet Hendess, quod omnia eius verba supervacanea sint. Mihi illud „νῶτον ἐπιστρέψας“ sine praecedente „ἀλλ' ὑποχωρεῖν“ in aëre pendere videdur. Vidit hoc etiam is, qui scribens „ἐπιστρέψαις“

---

[1]) „Untersuchungen über die Echtheit einiger delphischer Orakel von Dr. R. Hendess. Progr. Guben. 1882.“

minus malum, optativum post infinitivum, praetulit maiori. Per se igitur hic versus non suspectus est.

Etiam ea, quae affert Hendess contra versus 1—5, gravia esse mihi non videntur. Primum eius argumentum est, genuina oracula non habuisse tam longa ac supervacanea prooemia. At copia oraculorum nobis servatorum non sat magna est, ut concludere possimus, talem legem exstitisse. Dicit deinde Hendess, versus 4 et 5 post bellum compositos esse, iam quod terrae Atticae occupationem celebrarent. Respondendum est, etiam oraculi I verba „*πολλὰ δὲ κἄλλ᾽ἀπολεῖ πυργώματα κοὐ τὸ σὸν οἶον,*" quae Hendess ipse genuina esse putat, talem vaticinationem ante eventum prolatam continere. Et re vera facillima fuit! Etiam tertium Hendessii argumentum, verbum *δίδωμι* non post tertium versum inveniri in genuinis oraculis, levissimum est. Si alia praemittenda erant, sacerdotes tam stupida lege non obstringebantur. Ita nil restat, quod spurios esse versus 1—5 probare possit.[1])

Meam suspicionem plus quam priores movent versus 8—10. Si Athenienses eos audivissent, vix pars eorum putasset, murum ligneum esse acropolin (VIII 51). Non enim idem fuisset in arce remanere ac „*νῶτον ἐπιστρέψας ὑποχωρεῖν*" sed idem ac „*ἱπποσύνην καὶ πεζὸν στρατὸν ἥσυχος μένειν,*" quod vetatur his versibus. Non video causam, cur dubitandum sit de veritate verborum Herodoti „(Persae) *αἱρέουσι ἔρημον τὸ ἄστυ, καί τινας ὀλίγους εὑρίσκουσι τῶν Ἀθηναίων ἐν τῷ ἱρῷ ἐόντας, ταμίας τε τοῦ ἱροῦ καὶ πένητας ἀνθρώπους, οἳ φραξάμενοι τὴν ἀκρόπολιν θύρῃσί τε καὶ ξύλοισι ἠμύνοντο τοὺς ἐπιόντας, ἅμα μὲν ὑπ᾽ ἀσθενείης βίου οὐκ ἐκχωρήσαντες ἐς Σαλαμῖνα, πρὸς δὲ αὐτοὶ δοκέοντες ἐξευρηκέναι τὸ μαντήιον τὸ ἡ Πυθίη σφι ἔχρησε, τὸ ξύλινον τεῖχος ἀνάλωτον ἔσεσθαι· αὐτὸ δὲ τοῦτο εἶναι τὸ κρησφύγετον κατὰ τὸ μαντήιον καὶ οὐ τὰς νέας.*" Si paupertas tantum hos homines in arce relictos retinuisset, Pisistratidarum intercessionem non repudiassent (VIII 51. 52).

[1]) Verba „*διὰ Παλλάδα κούρην*" et Tzetzis illud „*Ἐρεχθείδαις*" (ad Iliad. XIII 20), quod bene cum eis coniungit Hendess, inventa esse videntur ab homine, qui de oraculo verba fecit tantum propter sales, qui insunt ultimis versibus. Hic sensit, versus priores non intellegi posse nisi ab eo, qui totam historiam, quam profert Herodotus de oraculo I et de consultatione iterata, cognitam habeat, et omittere eos statuit compensans, quod continent, illo „*διὰ Παλλάδα κούρην.*"

Re vera oraculo, cui versus 8—12 nondum adiuncti erant, confisi quattuordecim fere dierum obsidionem sustinuisse videntur.[1]) Qui pugnam navalem, qui emigrationem, qui defensionem arcis commendabant, omnes ad dei verba provocare poterant. Huius oraculi ambiguitatis pudebat Delphos post bellum. Itaque finxerunt quinque versus 8—12, qui luce clarius demonstrarent naves, non acropolin, esse ligneum murum, quique pugnam Salaminiam manifestis verbis praedicerent. Quis non delectatur callido versu „ἤ που σκιδναμένης Δημήτερος ἤ συνιούσης,“ qui praecedentem fulcire debet?

Athenienses, non Delphi, qui ambiguitatem oraculi non concedebant, Herodoto praebuere, quae leguntur c. 142 de eis, qui putabant acropolin esse refugium a deo designatum. Philodelphus autem Herodoto narravisse videtur de Themistocle ultimos versus optime interpretante (c. 143).

Leonidam cum parva manu a Lacedaemoniis morti oblatum esse, non miramur. Optimum erat hoc ephororum consilium, nam exercitus maior propter Argivos in Peloponneso desiderari non poterat.[2]) Sufficiebat Leonidas cum suis ad cogendas omnes civitates, quarum fides dubia erat, ut odium Xerxis in se concitarent id quod gravissimum fuit. Sane post bellum Spartani non concedebant, prae Argivorum timore Leonidam obiectum esse hosti: VII 220 legimus, qua ratione post eventum se excusaverint: „ἐκέχρηστο γὰρ ὑπὸ τῆς Πυθίης τοῖσι Σπαρτιήτῃσι χρεωμένοισι περὶ τοῦ πολέμου τούτου αὐτίκα κατ' ἀρχὰς ἐγειρομένου, ἢ Λακεδαίμονα ἀνάστατον γενέσθαι ὑπ' τῶν βαρβάρων ἢ τὸν βασιλέα σφέων ἀπολέσθαι. ταῦτα δέ σφι ἐν ἔπεσι ἑξαμέτροισι χρᾷ λέγοντα ὧδε·

ὑμῖν δ', ὦ Σπάρτης οἰκήτορες εὐρυχόροιο,
ἢ μέγα ἄστυ ἐρικυδὲς ὑπ' ἀνδράσι Περσεΐδῃσι
πέρθεται, ἢ τὸ μὲν οὐχί, ἀφ' Ἡρακλέους δὲ γενέθλης
πενθήσει βασιλῆ φθίμενον Λακεδαίμονος οὖρος
οὐ γὰρ τὸν ταύρων σχήσει μένος οὐδὲ λεόντων
ἀντιβίην. Ζηνὸς γὰρ ἔχει μένος· οὐδέ ἕ φημί
σχήσεσθαι, πρὶν τῶνδ' ἕτερον διὰ πάντα δάσηται.“

---

1) cf. Busolt II² p. 695.

2) cf. Busolt II² p. 677, ann. 3.

Lacedaemoniorum rebus fictum[1]) hoc oraculum conducebat[2]) et a Lacedaemoniis mea quidem sententia etiam confectum est. Cum Busoltio (II[2] p. 662) facere non possum, qui putat Delphos eius esse auctores. Poetae, qui deo Delphico ministrabant, artis peritiores erant quam qui dixissent „*ἄστυ ἐρικυδές*“ et „*βασιλῆ.*“ [3])

Iam restat, ut inspiciamus duo illa oracula, quae Cretenses et Argivos abstraxisse feruntur ab auxilio Graecis laborantibus ferendo:

Nemo attribuet fonti philodelpho, quae legimus VII 169 sq. de oraculo: „*ὦ νήπιοι ἐπιμέμφεσθε* (Stein conj: *ἔτι μέμνησθε*) *ὅσα ὑμῖν ἐκ τῶν Μενελάου τιμωρημάτων Μίνως ἔπεμψε μηνίων δακρύματα, ὅτι οἱ μὲν οὐ συνεξεπρήξαντο αὐτῷ τὸν ἐν Καμικῷ θάνατον γενόμενον, ὑμεῖς δὲ ἐκείνοισι τὴν ἐκ Σπάρτης ἁρπασθεῖσαν ὑπ' ἀνδρὸς βαρβάρου γυναῖκα.*“ Delphi, si re vera Pythiae haec verba erant, causam habebant, cur de hoc oraculo tacerent.

Quaestio difficilis est, genuinane sit haec vaticinatio. Contra genuinitatem argumentum non sunt trimetrorum iambicorum vestigia,[4]) quae Stein detexisse sibi videtur: „*τιμωρημάτων | Μίνως ἔπεμψε μηνίων δακρύματα.*“ Pomtow[5]) Bergkii argumentum „man würde nicht gewagt haben, Sprüche in Trimetern unterzuschieben, wenn nicht die Pythia auch dieser Form sich zuweilen bedient hätte“ non refutavit dicens, tam longe afuisse Cretenses a Delphis, ut minime fraudis detegendae occasionem vel facultatem metuerent. Creta non longe

---

1) Stein (ad 220.[20]) et Welzhofer („Zur Geschichte der Perserkriege V.“ Jahrb. f. cl. Phil. u. Paed. 145 (1892) p. 663) putant, datum esse ante eventum hoc oraculum. At Delphi audere non potuerunt praedicere, aut regem moriturum aut Spartam interituram esse, cum nil magis exspectandum esset, quam reges cum urbe esse perituros.

2) cf. A. Hauvette „Hérodote, historien des guerres médiques“ (Paris 1894) p. 556: „On augmenta la gloire du héros en exaltant son sacrifice, et on excusait du même coup ceux qui l'avaient si mal secondé.“

3) cf. G. Meyer. Griech. Grammat. p. 431 (§. 332): Hae formae in-ῆ apud Euripidem et in iunioribus titulis Doricis inveniuntur.

4) Moneo haec contra Steinium (ad VII 169[7]) et Busoltium (II[2] p. 658) et

5) J. R. Pomtowium („Quaestionum de oraculis caput selectum: De oraculis quae exstant trimetro iambico compositis.“ Diss. Berol. 1881.) . 24—27.

abest a Delphis, quo consultores ex toto orbe terrarum conveniebant. Etiam, quod nobis metri variatio mira esse videtur, rem non tollit, neque facilius explicari potest falsariorum Cretensium lapsus eo „quod et in Jonia insulisque trimetri iambici imprimis adhibiti sunt, ut proverbiorum instar (quorum forma propria iambi erant,) etiam oracula facile possent fingi et quod haud raro a poetis et tragicis et comicis oracula in trimetri formam redacta sunt.“ Medio fere quinto saeculo poetarum Ionicorum et Atticorum auctoritas apud Cretenses vix tanta erat, ut ea adduci possent ad talem errorem. Ita ego non audeo contra horum versuum originem Delphicam metrum iambicum afferre. Alterum Pomtowii argumentum non firmius est. Dicit p. 24: „... accedit gravissimum; quod Herodotus Pythiam facit admonentem Cretenses veteris illius in Siciliam expeditionis a maioribus ut Minois mortem ulciscerentur dei iussu susceptae; quam constat, tam infelici fuisse exitu, ut cum Camicum urbem per quinque annos frustra expugnare conati essent, nemo eorum umquam in patriam rediret. Num Pythia talis eventus oraculum Cretensibus in memoriam revocasse ullo modo credi potest?“ At primum non dicitur, deum Delphicum dedisse illud oraculum, deinde exitus expeditionis non infelix erat, quod non redierunt Cretenses (condiderunt enim, ut narrat Herodotus c. 170, Iapygiorum ac Messapiorum urbes Graecosque devicerunt, *ὥστε φόνος Ἑλληνικὸς μέγιστος οὗτος δὴ ἐγένετο τῶν ἡμεῖς ἴδμεν*“) deinde Pythiam de his rebus mythicis anno 481 alia protulisse quam Cretenses Herodoti temporibus facile cogitari potest. Accedit, quod de rebus „*τρίτῃ γενεῇ*“ ante bellum Troianum gestis omnino nihil „constat.“ Ita illo, „*θεοῦ σφι ἐποτρύναντος*“ non probatur, Cretenses ipsos finxisse hoc oraculum parum philograecum.

Sophoclis fabulam „*Καμίκιοι*“ fontem huius oraculi fuisse, negaudum est, quod in tragoedia, cuius argumentum Minois mors fuisse videtur,[1]) nullo modo collocari potest.

Oraculi testes Praesii Herodoto fuisse videntur, ut efficitur ex c. 171.[2])

Non multa facienda sunt verba de oraculo Argivis dato, quod commemorat Herodotus VII 148:

---

[1]) cf. Nauck. tragg. gr. fr. s. v. *Καμίκιοι*.

[2]) cf. Pomptow. l. l. p. 25.

„ἐχθρὲ περικτιόνεσσι, φίλ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
εἴσω τὸν προβόλαιον ἔχων πεφυλαγμένος ἧσο
καὶ κεφαλὴν πεφύλαξο· κάρη δὲ τὸ σῶμα σαώσει."

De fonte horum versuum philodelpho nemo cogitat, omnes eos genuinos esse concedunt. Quaeri tantum potest, utrum Persas an Lacedaemonios respiciens Apollo consilium dederit. Qui non cum Steinio[1]) verba „τῶν δὴ εἵνεκα πέμπειν" premit, fidem Herodoto denegare non debet. Complectitur hoc enuntiatum consultationis causas inter se minime discrepantes: Argivi dicebant sese, cum Xerxis expeditionem praescirent, promtos fuisse futuros ad auxilium ferendum etiam Apolline non consultato, nisi magna clade fracti essent; infirmitate tantum coactos oraculum sese consultasse.

Examen omnium, quae profert Herodotus de oraculis ab Apolline Delphico belli Persici temporibus datis, nos docuit, nil esse certum nisi, deum exanimare Athenienses, removere a Graecorum partibus Cretenses et Argivos studuisse. Parum idonea certe haec sunt ad deum a medismi crimine purgandum. Accedit, quod Gelon Syracusanus nullum totius Graeciae tutiorem locum sciebat, quo dona Xerxi destinata deponeret, quam Delphos (VII 163). Similem suspicionem movet, quod narratur VIII 114: „Χρηστήριον ἐληλύθεε ἐκ Δελφῶν Λακεδαιμονίοισι, Ξέρξην αἰτέειν δίκας τοῦ Λεωνίδεω φόνου καὶ τὸ διδόμενον ἐξ ἐκείνου δέκεσθαι." Finis narratiunculae apud Herodotum verbum Xerxis facetum ac ominosum est. Nonne tamen fortasse hic nobis vestigium genuinum dei pacem conciliare tentantis servatum est? Separatio Lacedaemoniorum illo tempore finis rerum Graecarum fuisset.

---

1) ad VII 148[12]: „Die Argiver räumen also (propter „τῶν δὴ εἵνεκα πέμπειν") selber ein, oder aber der Autor lässt sie, ihnen selbst zur Widerlegung eingestehen, dass sie nur der frühern eigenen Bedrängniss halber nach Delphi geschickt hatten." Steinio assentiri videntur Wecklein (l. l. p. 311), Busolt (II² p. 662), Pomtow (l. l. p. 24).

CAPUT VIII.

De rebus Arcadicis.

Narrat Herodotus I 66, Lacedaemonios consultavisse Pythiam de Arcadia expugnanda et responsum accepisse hoc: [1])

„Ἀρκαδίην μ'αἰτεῖς· μέγα μ'αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.
πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,
οἵ σ'ἀποκωλύσουσιν· ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγαίρω
δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι
καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι."

Eventus oraculi erat: Lacedaemonii victi et capti „σχοίνῳ διαμετρησάμενοι τὸ πεδίον τὸ Τεγεητέων ἐργάζοντο." Nemo non videt hanc ultimorum versuum explicationem esse durissimam. Optimo iure Lacedaemonii hoc oraculo confisi speraverant, Messeniorum sortem etiam Tegeatis fore. „ὀρχήσασθαι" est saltare neque ulli homini in mentem venire potuit interpretatio „hortos colere" ab „ὄρχος" derivata; impediebat iam illud „ποσσίκροτον," quod epithetum est aptum non horto sed orchestrae. Hi igitur versus reliquiae sunt oraculi genuini, quod contra spem Delphorum evenit. Non idem dicendum est de tribus versibus antecedentibus. Modestia, quam poscit hic Pythia a Spartanis, ante quintum saeculum eis commendata esse nequit. Heraclidarum mythus testimonio est, totam Peloponnesum a Doriensibus appetitam esse. Delphicum oraculum incitans sexto saeculo Lacedaemonios contra Tegeatas vix eis praescripsit, ut dimidio facto contenti abstinerent a Mantinensium et Orchomeniorum agris. Causam non habebant Delphi, cur Lacedaemoniis in Arcades non eadem latrocinia quam in Messenios permitterent. Prudentes illi versus, cum Athenae crescerent, demum ficti esse videntur, ut purgarent deum a crimine inutilium concitationum contra Arcades prolatarum. Vix erramus, si philodelphum Herodoti auctorem etiam hic esse censemus. Valde necesse erat, ut de his rebus aliquid in Apollinis gloriam propagaretur. Catenae suspensae in celeberrimo Minervae Aleae templo eum graviter accusabant. E difficultatibus se expedivit falsarius fingens versus, qui genuino illi oraculo fatali adiuncti demonstrarent, sexto

[1]) Schubring (p. 67) de oraculo (c. 66) dicit, versus 2 et 3 genuinos, ceteros falsos esse.

iam saeculo deum expressis verbis prohibuisse Lacedaemonios ab Arcadia, et addens contortam illam explicationem, quomodo oraculum de Tegeae expugnatione datum probatum sit eventu.

Obscurius oraculum est, quod sequitur apud Herodotum I. 67. Apollo iubet Spartanos Orestis ossa apud se introducere, si vincere velint. Locum, ubi seposita sint, his versibus eis indicat:

„ἔστι τις Ἀρκαδίης Τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
ἔνθ᾽ ἄνεμοι πνείουσι δυω κρατερῆς ὑπ᾽ ανάγκης,
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ᾽ ἐπὶ πήματι κεῖται.
ἔνθ᾽ Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα,
τὸν σὺ κομισσάμενος Τεγέης ἐπιτάρροθος ἔσσῃ.“

Casu et fortuito intellegunt Spartani, officinam ferrariam locum esse illum diu quaesitum et comparant sibi ossa dolo.

Antequam de fonte huius historiolae quaeramus, certiores fieri debemus, utrum post an ante eventum hi versus nati sint. Schubring (p. 31.) putat, fabulam cum oraculo esse falsam; Orestis sepulcrum in pago situm esse, qui „*Κιρυθεῖς*“ (Paus. VIII 45. 1) appellatus sit i. e. „fabri ferrarii, qui galeas faciunt;“ ab hoc pagi nomine fabulam Herodoteam et oraculum derivatum esse. At Schubring ipse vidit, secundum Pausaniae (VIII 54. 4. 5) testimonium non in pago, qui „*Κορυθεῖς*“ sed in eo, qui„ *Γαρεάτας*“ appellatus sit, Orestis sepulcrum situm esse, neque tollitur hoc testimonium Schubringii verbis: „quum antiquissimo tempore certi termini pagorum sine dubio non constiterint, Gareatae autem in universum ei nominati sint, qui ad Garatam fluvium habitabant, is autem etiam per Corytheis fluat, aliqua cum verisimilitudine ad hos sepulcrum Orestis referri potest.“ Accedit, quod, si omnino „*Κορυθεῖς*“ a *κόρυς* derivandum est, non „fabri galearum“ sed „galeati“ [1]) proxima est notio. Etiam, cur Tegeae omnes galearum fabri unam occupaverint regionem, intellegi non potest. Subtiliorem quam verisimiliorem Schubringii explicationem iam missam faciamus.

Post eventum fictum esse hoc oraculum etiam Stein (ad I 67) affirmat. Re vera habitus totius narrationis suspiciones

---

[1]) Sic vocem vertit G. J. Schwedler („De rebus Tegeaticis.“) (Leipz. Stud. 9 (1887) p. 266.)

valde movet. Narratio de Lichae dolo prolata, quo se in Tegeatarum societatem insinuat, argumentum fabulosum vulgare habet idem illud, quod etiam in historia Zopyri videmus. Accedit, quod Oresthes in Arcadia passim colebatur,[1]) quodque vix eius sepulcrum Tegeatis ipsis plane ignotum erat. Pausanias narrat, se ipsum vidisse μνῆμα Orestis, unde Spartanus ossa abstulisset. Etiam hoc testatur, non ossa casu inventa sed reliquias sacras a Tegeatis cultas fuisse, quarum translatio tam magni momenti erat. Sed, cur officinam ferrariam inventor fabulae elegit, ubi ossa reperta esse diceret? Lichas peregrinus erat Tegeae. Cum hospitem non haberet, proximum ei erat, ut fabricae hospitium quaereret.[2]) Hanc ob rem auctor fabulae fabrum in narrationem introduxit.

Haec omnia contra versus 2 et 3 adiunctamque narrationem tantum afferri possunt. Causa, cur de genuinitate versuum 1, 4, 5 dubitemus, non exstat. Simplex hoc trium versuum oraculum non victoriam praesagit sed promittit tantum, Lacedaemonios adiutores Tegeatarum fore translatione reliquiarum heroicarum, i. e. locum herois Orestis, patroni, eos apud Tegeatas obtenturos esse. Condicio, qua hoc oraculum datum est, haec esse videtur: Lacedaemonii superiores sunt Tegeatis: ἐπιτάρροθοι hominum apud Homerum dei esse solent. Tegeatae, bello victi, pacem, honestam sane, redimunt foedere. Alia voce atque „ἐπιτάρροθος“ uteretur deus de hominibus in servitutem heloticam redactis. Nova societas sancitur actione sacra. — Suspicio in promtu est, nobis hic servatum esse testimonium acceptae in confoederationem Peloponnesiacam Tegeae. Quando hoc factum sit, quaestio difficilis est. Herodoti narrationem leviter perlegentes respondebimus: Croesi temporibus. At haud levia obstant: Brevi ante bella Persica, ut narrat Herodotus (IX 37); Hegesistratus

---

[1]) cf. Steinium ad I 67[10] et IX 11[15].

[2]) cf. St. N. Dragoumis: („περὶ λεσχῶν.“) (Athen. Mittheil. 1892 (vol. XVII) p. 147 sq.): Melantho (Od. 6, 328) Ulixem mendicum officinae hospitium quaerere iubet verbis:

„οὐδ' ἐθέλεις εὕδειν χαλκήιον ἐς δόμον ἐλθών;

cf. schol. ad Hes. opp. et dd. 491 (Gaisf. p. 304)

„ . . . τὰ χαλκεῖα παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἄθυρα ἦν καὶ ὁ βουλόμενος ἐσῄει καὶ ἐθερμαίνετο καὶ οἱ πένητες ἐκεῖ ἐκοιμῶντο.“

vates Lacedaemoniorum acerrimus inimicus „καταφεύγει ἐς Τεγέην ἐοῦσαν οὐκ ἀρθμίην Λακεδαιμονίοισι τοῦτον τὸν χρόνον.“[1]) Postea rex Leotychides fugit Tegeam, ubi mortuus est (VI 72)[1]). Contra Xerxem Tegeatae a Graecorum parte stant et impedire conantur summa diligentia, nequis eos Lacedaemoniorum esse clientes credat: ut dignitatis paritas aperta fiat, ante pugnam Plataeensem cornu sinistrum sibi arrogant. (IX 26—28.) Lacedaemonii, qui propter Athenienses multo valentiores ridiculo huic postulato indulgere non possunt, omnia faciunt ad eorum consolationem: „προσεχέας δὲ σφίσι εἵλοντο ἑστάναι οἱ Σπαρτιῆται τοὺς Τεγεήτας καὶ τιμῆς εἵνεκα καὶ ἀρετῆς.“ Ipso impetus Persici momento Tegeatae, ut libertatem manifestissimam reddant, signum Pausaniae non exspectant sed, dum Lacedaemonii sacra faciunt, in hostes irruunt. (IX 62.) Post pugnam (IX 70, 80.) Pausaniae interdicenti „μηδένα ἅπτεσθαι τῆς ληίης“ obtemperant, quoad volunt. „τὴν μέν νυν φάτνην ταύτην τὴν Μαρδονίου ἀνέθεσαν ἐς τὸν νηὸν τῆς Ἀλέης Ἀθηναίης Τεγεῆται, τὰ δὲ ἄλλα ἐς τὠυτό, ὅσαπερ ἔλαβον, ἐσήνεικαν τοῖσι Ἕλλησι.“ Ita hae res nos docent, ante bella Persica non exstitisse condiciones, quas poscit oraculum. ἐπιτάρροθος Tegeae Sparta post bella demum Arcadica annorum 473 et 471 fieri potuit.[2])

Narratio, quamquam Apollinis gloriam propagat, philodelphum non redolet: finis apologeticus ei deest.

Produnt etiam verba (c. 67) „ἐούσης γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον ἐπιμιξίης πρὸς τοὺς Τεγεήτας“ non ex eodem provenisse fonte hanc rerum Tegeaticarum partem quam antecedentem. Valde enim mira est ἐπιμιξίη ipso illo tempore post cladem Lacedaemoniorum maximam, cum multi in servitute Tegeatarum sint.

Ego Spartae hanc de Lichae dolo narrationem natam esse puto propter colorem valde Lacedaemonium, quem habent ea, quae de agathoergis et statis[3]) proferuntur.[4]) Falso loco

---

[1]) cf. Busolt III. p. 120.

[2]) cf. Busolt III p. 121 sq.

[3]) . . . „ἐς δ δὴ Λίχης τῶν ἀγαθοεργῶν καλεομένων Σπαρτιητέων ἀνεῦρε. οἱ δὲ ἀγαθοεργοὶ εἰσὶ τῶν στατῶν (codd: „ἀστῶν“. στατῶν coni Usener. N. Jahrb. für Phil. u. Paed. 1889.), ἐξιόντες ἐκ τῶν ἱππέων αἰεὶ οἱ πρεσβύτατοι, πέντε ἔτεος ἑκάστου. τοὺς δεῖ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν, τὸν ἂν ἐξίωσι ἐκ τῶν ἱππέων, Σπαρτιητέων τῷ κοινῷ διαπεμπομένους μὴ ἐλινύειν ἄλλους ἄλλῃ.“

[4]) Schubring oraculi c. 67 omnes versus fictos esse putat. Dicit p. 42 „In oraculo, quod invenitur I 67, quatuor quasi aetates discernere mihi

eam non testium Spartanorum sed Herodoti culpa legi existimo, quem arguit finis narrationis paene inanis: „καὶ ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου, ὅκως πειρῴατο ἀλλήλων, πολλῷ κατυπέρτεροι τῷ πολέμῳ ἐγίνοντο οἱ Λακεδαιμόνιοι.“ Spartae sine temporis mentione prolata esse videtur.

CAPUT IX.

De rebus Milesiis et Argivis.

Herodotus VI 19 et 77 narrat, Argivos consultantes Pythiam de salute urbis oraculum accepisse „ἐπίκοινον,“ cuius altera pars ipsos, altera Milesios spectasset:

„ἀλλ' ὅταν ἡ θήλεια τὸν ἄρσενα νικήσασα
ἐξελάσῃ καὶ κῦδος ἐν Ἀργείοισιν ἄρηται
πολλὰς Ἀργείων ἀμφιδρυφέας τότε θήσει
ὥς ποτέ τις ἐρέει καὶ ἐπεσσομένων ἀνθρώπων
„δεινὸς ὄφις ἀέλικτος ἀπώλετο δουρὶ δαμασθείς.“

---

videor. Nam primum primus et quartus versus in lucem prodierunt ex verbis Homericis compositi, argumentum simpliciter exhibentes eodem modo, quo apud Paus. VIII 9. 4 dicitur:

Ἔστι δὲ Μαιναλίη δυσχείμερος, ἔνθα τε κεῖται
Ἀρκάς, ἀφ' οὗ δὴ πάντες ἐπίκλησιν καλέονται.“

At versus Herodotei 1 et 4 sine 5 per se non meliorem praebent sensum, quam ei, quos affert Schubring sine quattuor illis, qui sequuntur apud Pausaniam. Pergit Schubring: „Deinde, ut ostendit repetitio particulae ἔνθα, secundus et tertius, qui officinam fabri ferrarii indicant, inculcati sunt. Haec enim fabula non ante quam expugnata Tegea in pago κορυθέων iacere Orestem compertum est, ficta esse potest. Tum quintus versus additus, in quo vox, quae est ἐπιτάρροθος Τεγέης adiutor contra Tegeam eodem modo usurpata est, quo in Aeschyl. Sept. 350: mors, παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίρροθος. Postremo vox Τεγέη in γαίη commutata est, ut aenigma difficilius fieret solutu; sic enim exstat apud schol. ad Aristid. pag. 213 Frommel; sed γαίῃ λευρῷ ἐνὶ χώρῳ ineptum est.“

De rebus Corythensibus iam verba feci; nemo hodie credet versibus Aeschyleis:

„ἐλπὶς ἐστι νύκτερον τέλος μολεῖν
παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίρροθον.“

probari, versum oraculi ultimum vertendum esse „quo arcessito adiutor eris contra Tegeam.“ Quem adiuvarent in bello contra Tegeam gerendo?

καὶ τότε δή, Μίλητε, κακῶν ἐπιμήχανε ἔργων,
πολλοῖσιν δεῖπνόν τε καὶ ἀγλαὰ δῶρα γενήσῃ,
σαὶ δ'ἄλοχοι πολλοῖσι πόδας νίψουσι κομήταις,
νηοῦ δ'ἡμετέρου Διδύμοις ἄλλοισι μελήσει.“

Altera huius oraculi pars, quae est de Mileto capta, facillima intellectu, haud dubie post eventum ficta est. Illa autem parte, quae de Argis agebat, Herodotus ipse, quid faceret, nesciebat. Cum Spartanorum atque Argivorum narrationibus, ex quibus cetera hausit, quae de bello illo narrat, hi versus non quadrabant. Tamen non sustinuit eos omittere: leguntur nunc VI 77, ubi minime intellegi potest, quem habuerint sensum. Interpretatio usitata est, Spartam esse „*ἡ θήλεια*“ Argos „*τὸν ἄρσενα.*“ Tamen Stein (ad VI 77 [10]) vidit verbum „*ἐξελάσῃ*“ ei repugnare: Lacedaemonii Argivos non expulerunt. Accedit, quod *Ἄργος* generis neutrius est, et heros Argus, si pro urbe substitueretur, heroinam „Spartam“ postularet, quae numquam exstitit.[1]) Propter tertium versum explicatio Pausaniae (II 20 i. f.) spernenda est, qui putabat, Telesillam[2]) fuisse feminam illam, quae marem expulisset: post victoriam Telesilla feminas Argivas non in luctum detrusit. Ita ego de interpretatione sufficiente despero propter Herodoti parum excultam contaminandi artem.

Fontem omnium horum versuum mirorum ego carmen chresmologicum[3]) fuisse censeo compositum a quopiam vate

---

[1]) Non licet putare, Graecos illorum temporum ingenii grammatici sat habuisse, ut intellegere possent, rem „*Σπάρτη*“ esse feminam. Notissimus ille locus Aristophaneus (Nubb. 658 sq.) demonstrat, quam mirae hae distinctiones grammaticae, inventae a sophistis, vulgo visae sint. Herodotus ipse ad tales res non valde intentus erat, nam terminationem masculinam „*-ος*“ a neutrali discernere nequibat, ut efficitur ex initio c. 76: „*Κλεομένεϊ γὰρ μαντευομένῳ ἐν Δελφοῖσι ἐχρήσθη Ἄργος αἱρήσειν.*“ Oraculum, si re vera et urbem et heroem designabat, fuit: „*Ἄργος ὑπὸ σέο αἱρεθήσεται*“ vel simile aliquid. Forma, quam praebet Herodotus ambigua non est.

[2]) Busolt II² p. 564 bono iure negat, Herodoti temporibus iam exstitisse fabulam de Telesilla Argivorum servatrice.

[3]) Multa iam facta sunt verba de hoc Herodoti fonte: A. Schöll („Herodots Entwicklung zu seinem Beruf.“ Philologus X 1855 p. 24 sq.) et Schubring (p. 54 sq.) paene omnia, quae narrat Herodotus de oraculis, ei attribuebant. Optimis argumentis eorum sententia nimis audax refutata est iam a Benedicto. (p. 1 sq.)

Tamen mihi persuasum est, exstitisse tales collectiones oraculorum inter se iunctorum non Bacidis modo et Musaei sed etiam Apollinis. Non

Apollinis Delphici personam gerente. Credere non possum, libri historici auctorem excogitasse ineptam hanc diversissimorum coniunctionem, nam Pythia numquam more Sibyllae caeco impetu nullo consulente vaticinata est. Auctor Herodoti philodelphus profecto talem rem ab usu Pythico abhorrentem non invenit. Ceterum hanc narrationem ei etiam propterea non tribuo, quod commenti finis apologeticus non apparet et quod Herodotus non intellexit, quid sibi vellet prima oraculi pars. Ex fonte enim philodelpho Herodotus semper etiam haurire poterat oraculorum interpretationem, cum auctorem, cui hoc oraculum debebat, explicationem oratione soluta non addidisse manifestum sit. Immiscuisse videtur alliciendorum stultorum hominum causa oraculis obscuris usui destinatis nonnullas vaticinationes ad notissimas temporum praeteritorum res, velut Mileti expugnationem, pertinentes, quae sine interpretatione facile intellegi poterant.[1]) Benedict (p. 5 sq.) contra Schoellium (p. 61), qui primus ex carmine chresmologico hos

---

loquor de oraculis genuinis, quae a magistratibus conservabantur. Puto exstitisse etiam fictorum oraculorum Apollineorum corpora. Talem oraculorum collectionem fuisse puto eam, cuius mentionem facit ipse Herodotus, ubi narrat de Spartanis Pisistratidas reducere conantibus: V 90 (cf. I 64. V. 93. VIII 141.) *ἔτι τε πρὸς τούτοισι ἐνῆγόν σφεας* (Lacedaemonios) *οἱ χρησμοὶ λέγοντες πολλά τε καὶ ἀνάρσια ἔσεσθαι αὐτοῖσι ἐξ Ἀθηναίων, τῶν πρότερον μὲν ἦσαν ἀδαέες, τότε δὲ Κλεομένεος κομίσαντος ἐς Σπάρτην ἐξέμαθον. ἐκτήσατο δὲ ὁ Κλεομένης ἐκ τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλιος τοὺς χρησμούς, τοὺς ἔκτηντο μὲν πρότερον οἱ Πεισιστρατίδαι, ἐξελαυνόμενοι δὲ ἔλιπον ἐν τῷ ἱρῷ, καταλειφθέντας δὲ ὁ Κλεομένης ἀνέλαβε.*" Si Musaeo aut Bacidi haec oracula ascripta essent, Herodotus sine dubio nomen auctoris non silentio praeteriret: cum de chresmis *κατ' ἐξοχήν* agatur, Apollo vates *κατ' ἐξοχήν* auctor esse videtur. Pisistratidae, iam quod Delphi eis iniquissimi erant, possidere debebant talem oraculorum Apollineorum thesaurum, cuius testimonia implorare poterant ad animos Atheniensium, qui oraculis Delphicis malevolis territi erant, firmandos. Erant enim paria auctoritate Apollinis oraculis non Musaei carmina sed ipsius tantum dei responsa antiquiora. Etiam fragmentum illud Euripideum saepe laudatum (e Plisthene. fr. 629):

„*εἰσὶν γὰρ εἰσὶ διφθέραι μελεγγραφεῖς*
πολλῶν γέμουσαι Λοξίου κηρυγμάτων"

propter grandidatem verborum non de simplici collectione omnium, quae civitati data erant, oraculorum, sed de arcano libro agere videtur, Pisistratidarum illi simillimo. Hae „*διφθέραι*" conferendae sunt cum „*Ἐπιμενίδειον δέρμα*", de quo verba facit Diels (Berl. Sitzungsber. 1891 p. 399.)

[1]) de hoc artificio cf. Dieles. l. l. p. 397.

versus fluxisse affirmaverat, scripsit: „Fac Herodotum tali libro usum esse; quomodo, quod in eo coniuncta erant, colligere potuit oracula etiam coniunctim edita esse, et quomodo potuit addere Pythiam ea solis Argivis Milesiorum nullo praesente dedisse.“ At in propatulo est, Herodoto licuisse de communi origine oraculorum cogitare, quae verbis „*καὶ τότε*“ inter se arte coniuncta erant. Etiam, cur Argivis quaerentibus, non Milesiis, oraculum datum esse dixerit, facile explicari potest. Milesios et Argivos communiter Apollinem non consultasse sciebat ut homo rationis particeps, sciebat Milesiorum oraculum non Delphicum sed Didymaeum fuisse ut vir historiae peritus.

Ita Schoellii sententia hic tenenda esse videtur. Herodotus re vera hoc loco carmine chresmologico usus est, sat, ut hoc addam, antiquo, nam post bellum Persicum secundum vix vates Graecus ausus esset, causam Persarum suscipere appellans Miletum „*κακῶν ἐπιμήχανε ἔργων.*“

Argivi, ut hoc loco tangam hanc rem, Herodoto de violatione luci, qui Argo sacer erat, narrabant (VI 75.) Itaque verisimile est, eos etiam testes fuisse oraculi (c. 76), quod cum hoc Cleomenis facinore cohaeret.

CAPUT X.

De Lycurgi oraculo.

Herodoti temporibus vulgaris illa antiquorum opinio, quae erat, ab Apolline Delphico doctum leges tulisse Lycurgum, Spartae nondum nota erat. Luculenter ipse dicit I 65: „*οἱ μὲν δή τινες πρὸς τούτοισι λέγουσι καὶ φράσαι αὐτῷ τὴν Πυθίην τὸν νῦν κατεστεῶτα κόσμον Σπαρτιήτησι· ὡς δ'αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι, Λυκοῦργον . . . . . ἐκ Κρήτης ἀγαγέσθαι*

ταῦτα.“ Ita Apollo in antiquissima fabula [1]) Lycurgea locum non habebat. Neque enim pietate movebatur, qui eam sexto vel quinto saeculo fingebat, sed studio creandi personam, quae ceterorum Graecorum nomothetis similis esset. Fecit eum in Solonis,[2]) Zaleuci,[3]) Charondae[4]) modum e regionibus externis sapientiam colligentem. At fuere homines, qui hac rerum explicatione minime contenti, deo Delphico meritum rei publicae Spartanae ordinatae ascribebant. Coniungebant hi „*τινες*“, ut narrat Herodotus, commentum suum cum oraculo noto etiam Lacedaemoniis:

„*ἥκεις ὦ Λυκόοργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηόν*
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.
δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι ἢ ἄνθρωπον.
ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόοργε.“

Hoc oraculum re vera nil vult nisi *ἀναθεοῦν*, ut ita dicam, Lycurgum, magnum olim deum, qui eadem atque in cetera Peloponneso ratione etiam Spartae ad heroes descenderat. Cum Lacedaemonii Apollinem, ut omnem dubitationem finirent, de condicione Lycurgi percontarentur, respondit, eum esse deum, quasi ipse quaerens adesset. Apostropham nemo miretur: Apollo ea etiam usus est, cum homo quidam Arcadius de Aesculapii condicionibus quaereret. Etiam tum Aesculapium ipsum allocutus est verbis (Paus. II 26, 7):

---

[1]) Cum Wilamowitzio (Homerische Untersuchungen II. 2.) et Ed. Meyero (Forschungen z. alt. Gesch.) ego legum latorem nomine Lycurgum Spartae numquam exstitisse puto, quamquam concedo Tœpffero („Beiträge zur griechischen Altertumswissenschaft“ 1897, p. 347 sqq.) res Spartanas aliquando legum latione mutatas esse. Quae de disco Olympiaco Tœpffer dicit, me de hac sententia non deducunt, nam, etiamsi antiquissimus erat, non licet putare, Lycurgum illum, qui saeculo octavo cum Iphito ecechiriam Olympiacam constituit, eundem esse hominem ac Lycurgum, qui inde a quinto saeculo Spartae leges tulisse credebatur. Tyrtaei versus certissime monstrant, fabulam Lycurgeam antiquam non esse.

Nuperrime etiam vidi Nusseltii dissertationem „das Lykurgproblem“ (Erlangen 1898), quae meam, quam protuli de his rebus, sententiam non labefacit.

[2]) Plut. Solon 2: „*φασὶν ἔνιοι πολυπειρίας ἕνεκα μᾶλλον καὶ ἱστορίας ἢ χρηματισμοῦ πλανηθῆναι τὸν Σόλωνα.*“

[3]) Strabo p. 260: „*(Λοκρῶν νομογραφία), ἣν Ζάλευκος συνέταξεν ἔκ τε τῶν Κρητικῶν νομίμων καὶ Λακωνικῶν καὶ ἐκ τῶν Ἀρεοπαγιτικῶν.*“

[4]) Diod. XII. 11. „*(Χαρώνδας) ἐπισκεψάμενος τὰς ἁπάντων νομοθεσίας ἐξελέξατο τὰ κράτιστα καὶ κατέταξεν εἰς τοὺς νόμους.*“

„ὦ μέγα χάρμα βροτοῖς βλαστὼν Ἀσκληπιὲ πᾶσιν
ὃν Φλεγυηῒς ἔτικτεν ἐμοὶ φιλότητι μιγεῖσα
ἱμερόεσσα Κορωνὶς ἐπὶ κραναῇ Ἐπιδαύρῳ."

Qui erant illi „τινες," qui tam obscuris artibus[1]) Apollinem adiuvabant? — Delphi certe: nullius praeterea intererat his in rebus contra Lacedaemonios disputare. Primus quidem homo Herodotus non est, qui instituta Laconica Delphis orta esse tradiderit. Iam Tyrtaei tempore, cum Lycurgum legum latorem fuisse nemodum sciret, Theopompus et Polydorus reges ab Apolline Delphico fundamenta institutorum accepisse dicebantur. Testes sunt sex Tyrtaei versus, quos Plutarchus (Lyc. 7) nobis servavit:

„Φοίβου ἀκούσαντες Πυθωνόθεν οἴκαδ' ἔνεικαν
μαντείας τε θεοῦ καὶ τελέεντ' ἔπεα,
ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,
οἷσι μέλει Σπάρτας ἱμερόεσσα πόλις,
πρεσβύτας τε[2]) γέροντας, ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας,
εὐθείαις ῥήτραις ἀνταπαμειβομένους."

Abiudicavit sane E. Meyer hos versus a Tyrtaeo, quod post Herodotum demum fabula de fonte legum Delphico orta sit.[3]) Kaerst[4]) et Busolt[5]) ei obiecerunt, non „κόσμον" sed

[1]) Posteris temporibus homini alicui hoc artificium simplicius esse videbatur, quam quod lectores non detegere possent. Finxit igitur oraculum aptius, quod legimus in Anthol. (XIV. 77)

"Ὄλβιος οὗτος ἀνήρ, ὃς νῦν κατὰ λάϊνον οὐδόν
Φοίβου Ἀπόλλωνος χρηστήριον εἰσαναβαίνει
ἤλυθεν εὐνομίην διζήμενος. αὐτὰρ ἐγώ τοι
δώσω, ἣν οὐκ ἄλλη ἐπιχθονίων πόλις ἕξει."

Alius vir doctus huius oraculi ultimis versibus Herodoteos contaminavit: cf. Diod. VII 11. Plut. Lyc. 5. Stein (ad I 65. [18]) putat, ante Herodoti tempora iam ultimos Diodori et Anthologiae versus natos esse. Qua re haec opinio fundata sit, nescio. Locus Plutarchi (adv. Colotem 18. 2.) non sufficit. cf. Busolt I² p. 515 ann. 2.

[2]) Codd: δὲ.

[3]) E. Meyer p. 230: „Denn noch im fünften Jahrhundert wusste man in Sparta nichts davon, dass die Verfassung aus Delphi stamme. — Die Verfassung galt den Spartiaten als etwas naturwüchsiges, nicht wie den Fremden für ein seltsames Kunstprodukt, zu dessen Erzeugung es des Orakelapparates bedurft hätte." At apud ipsum Herodotum (VI 52.) Pythia duos primum reges constituisse Spartae dicitur. Et expresse Herodotus dicit: „ταῦτα μὲν Λακεδαιμόνιοι λέγουσι μοῦνοι Ἑλλήνων."

[4]) Bursian Jahresber.: 1889. I p. 332.

[5]) Busolt I.² p. 545: „Es handelt sich doch wesentlich nicht um die Verkündigung einer neuen Ordnung, sondern um eine Mahnung, sich der Leitung der Obrigkeit zu fügen und nichts böses zu stiften."

minorum tantum rerum institutionem hic attribui Apollini. Ego eis accedere non possum, quod, si hos versus recte intellego, re vera non levia continere videntur. Constituunt enim Lacedaemoniis principatum. Lex qua summae in civitate potestates definiuntur,[1]) id, quod nos appellamus „die Souveränetät" gravissima totius „κόσμου" est. Contra Meyerum potius dicendum est, Herodotum illo, quem affert, loco non affirmare, Spartanos Delphicam legum originem plane negare, sed tantum, eos Lycurgum non cum deo Delphico sed cum Cretensibus coniungere.[2])

Molesti nimirum Tyrtaei hi versus antiquis erant, qui tam obstinate Lycurgum constituisse rem publicam Spartanam credebant. Quomodo eos illi tractaverint, nunc videamus:

1) Diodori auctor (VII 14, 5) Tyrtaei verba ita interpolavit, ut oraculum Lycurgo ipsi datum esse videretur[3]) scribens: („ἡ Πυθίη ἔχρησε τῷ Λυκούργῳ περὶ τῶν πολιτικῶν οὕτως·")[4])

„δὴ γὰρ ἀργυρότοξος ἄναξ, ἑκάεργος Ἀπόλλων
χρυσοκόμης, ἔχρη πίονος ἐξ ἀδύτου.
ἄρχειν μὲν etc." pro Tyrtaei v. 1 et 2.

2) Tam violentus non erat auctor Plutarchi, apud quem legimus: „ὕστερον μέντοι τῶν πολλῶν ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τὰς γνώμας διαστρεφόντων καὶ παραβιαζομένων, Πολύδωρος καὶ Θεόπομπος οἱ βασιλεῖς τάδε τῇ ῥήτρᾳ παρενέγραψαν „αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας ἦμεν," τοῦτ' ἔστι μὴ κυροῦν ἀλλ' ὅλως ἀφίστασθαι καὶ διαλύειν τὸν δῆμον ὡς ἐκτρέποντα καὶ μεταποιοῦντα τὴν γνώμην παρὰ τὸ βέλτιστον. ἔπεισαν δὲ καὶ αὐτοὶ τὴν πόλιν ὡς τοῦ

[1]) Ephororum absentiam nemo miretur. Qualis fuerit septimo saeculo eorum condicio nemo scit. Eorum potestatem magnam fuisse, eo non sequitur, quod inde ab anno 757 index eorum exstabat (cf. Busolt I.[2] p. 558.) Hic magistratus, quod erat annuus, eponymos praebebat; hanc ob rem nomina servabantur.

[2]) Ex Hellanici fragmentulo, cuius mentionem Ed. Meyer facit, non intellegi potest, utrum cum an sine deo Eurysthenes et Procles res publicas ordinaverint. (fr. 91. F. H. G. I p. 57 = Strabo VIII p. 366. „Ἑλλάνικος μὲν οὖν Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα φησὶ διατάξαι τὴν πολιτείαν.")

[3]) cf. Busolt I[2] p. 545.

[4]) cf. Ed. Meyer. Forsch. I p. 227.

θεοῦ ταῦτα προστάσσοντος, ὥς που Τυρταῖος ἐπιμέμνηται διὰ τούτων.“ (sequ. versus.)

Qua ratione horum verborum auctor putare potuit, oraculum a poeta laudatum nil velle nisi sancire rhetrae supplementum illud „*αἰ δὲ σκολιὰν* . . .“? Ed. Meyer (p. 228) et Busolt (I² p. 545) respondebunt: quod obsequium viris popularibus commendat. Vertunt enim: „Vorangehen im Rathe sollen die Könige und Geronten, alsdann [folgen] die Männer des Volkes . . .“ At mirum illud „folgen“ apud Tyrtaeum non invenitur et sine vi suppleri non potest a Meyero dicente: „Zu *δημότας ἄνδρας* ist aus dem vorhergehenden *ἄρχειν* ein Verbum wie *ἕπεσθαι* zu supplieren.“

Meo quidem iudicio Plutarchus putabat, reges pressisse vocem „*εὐθείαις*.“ Si Delphis oraculum veniebat continens verba „*εὐθείαις ῥήτραις*,“ Spartani opinione Plutarchi putare debebant, deum probare rhetram cum novissimo additamento, cum censeret rhetras *εὐθείας* esse.

Aliter res explicari potest, si sumitur, Plutarchum post „*ἀνταπαμειβομένους*“ non interpunxisse, cum putaret, enuntiatum non integrum esse sine verbis, quae sequuntur apud Diodorum:

„*μυθεῖσθαι δὲ τὰ καλὰ καὶ ἔρδειν πάντα δίκαια*
(μηδέ τι ἐπιβουλεύειν τῇδε πόλει)
δήμου δὲ πλήθει νίκην καὶ κάρτος ἕπεσθαι
Φοῖβος γὰρ περὶ τῶν ὥδ᾽ ἀπέφηνε πόλει.“

Sane tum cum Dindorfio putare debemus, Plutarchum pro codicum „*μυθεῖσθαι δὲ*“ legisse „*μυθεῖσθαι τε.*“

Si res ita se habent, ab „*ἄρχειν βουλῆς*“ viri populares exclusi sunt, quod Plutarchi auctorem ad sententiam suam adducere potuit, si etiam versum „*δήμου δὲ πλήθει νίκην καὶ κάρτος ἕπεσθαι*“ male intellexit. Haec verba re vera de rebus internis dicuntur: respondent magnae rhetrae loco „*δάμῳ δὲ κυρίαν ἦμεν καὶ κράτος.*“ Si de bello externo ageretur, non diceretur „*δήμου πλήθει*“ quod est „der Maioritaet des Volkes.“

Sed, utut antiqui locum, qui eis obscurissimus erat, vexabant, nos, si simpliciter eum intuemur, concedere debemus, eum graviora continere, quam existimabat auctor Plutarchi.

Nos versus docent, iam Tyrtaei temporibus Apollinem civitatis compositorem praedicatum esse. Auctorem Herodoti philodelphum videmus non novum honorem quaesivisse Apollini commento suo, sed recuperare tantum studuisse illum, quem fabulae Lycurgeae inventores deo detraxerant.

CAPUT XI.

De Pythia pecunia corrupta.

Quinto saeculo Graeci duas historiolas narrabant, quae minime idoneae erant ad gloriam oraculi Delphici divulgandam. Etiam has Herodotus nobis tradit: Alcmeonidas pecunia Pythiam impulisse, ut Spartanos contra Pisistratidas accenderet (V 63), Cleomenem, ut, non esse Demaratum Aristonis filium, caneret. (VI 66) Delphorum nimirum has narrationes propagari nihil intererat. Sunt tamen indicia, quae faciunt, ut credam, Herodotum etiam his de rebus cum auctore suo philodelpho collocutum esse: crimen Pythiae temere accusatae a se amoliri studet, testes invocans Athenienses „*ὡς ὦν δὴ οἱ Ἀθηναῖοι λέγουσι, οὗτοι οἱ ἄνδρες ἐν Δελφοῖσι κατήμενοι ἀνέπειθον τὴν Πυθίην χρήμασι*“ et cautissime dicit „*Ἀλκμεωνίδαι δὲ ἐμφανέως ἠλευθέρωσαν* (Athenas) (VI 123), *εἰ δὴ οὗτοί γε ἀληθέως ἦσαν οἱ τὴν Πυθίην ἀναπείσαντες προσημαίνειν Λακεδαιμονίοισι ἐλευθεροῦν τὰς Ἀθήνας.*“ Nonne timida haec verba fortasse signum sunt, denegasse philodelphum totam rem. — Exstat etiam locus apud Herodotum, qui demonstrat, de Demarato non nisi vera protulisse Pythiam, cum diceret „*μὴ Ἀρίστωνος εἶναι Δημάρητον παῖδα.*“ Sermone enim inserto (VI 68 sq.), quem cum matre Demaratus contulerit, comperimus, re vera non Aristona sed Astrabacum heroa procreasse Demaratum. Hero-

dotus Spartae hanc narrationem non audivisse videtur, nam auctor indigena vix tam prave de relatione intercedente inter Astrabacum et „ὀνοφορβόν“ [1]) iudicasset. Etiam traditiones Demarateas haec narratio, cuius primam originem Laconicam non nego, non redolet, quod legitimum ius regnandi a Demarato abiudicat. Mihi verisimile videtur, philodelphum concessisse, Pythiam pecunia corruptam esse, nam quae dicuntur de Cobone, Aristophanti filio, et de Perialla Pythia punita, Delphis orta esse videntur. Narratione autem de Astrabaco Demarati patre adiecta fortasse demonstrare voluit, Lacedaemoniorum fidem ne pessima quidem Pythia destitutam esse, quod invita optime vaticinata esset, Demaratum Aristonis filium non esse.

CAPUT XII.

De ceteris oraculis Delphicis.

Oraculum, quod Delphis praescripsit, Aesopi mortem esse luendam, in transcursu commemoratum II 134, nil habet, quod fontis apologetici suspicionem moveat. Fortasse Herodotus hanc narratiunculam Sami audivit, cuius civis Iadmon, Aesopi dominus, fuerat, fortasse Delphis, ubi periegetae ei Rhodopidis, cuius conservus Aesopus fuerat, anathema monstraverunt, fortasse alibi. Inanis labor est quaerere, quo ex fonte haustum sit oraculum, quod cum narrationibus vulgaribus cohaeret, quae illo aevo de septem sapientibus, de celebribus poetis, de famosis meretricibus etc. etc. ferebantur. Mittamus igitur huius rei investigationem.

Etiam de fonte narrationis moralis, quam subiicit Herodotus VI 86 Leotychidae, regi Lacedaemoniorum, contionanti apud Athenienses, nil dicere possemus, nisi Herodotus ipse tam expressis verbis affirmaret, fontem Spartanorum sermones esse, ut ei vix fidem denegare possimus: cf. *λέγομεν ἡμεῖς οἱ*

1) cf. Sam Wide: Lakonische Kulte p. 279: (Astrabacus heros ipse *ὀνοφορβός* est.)

Σπαρτιῆται γενέσθαι ἐν τῇ Λακεδαίμονι κατὰ τρίτην γενεὴν τὴν ἀπ' ἐμέο Γλαῦκον Ἐπικύδεος παῖδα· τοῦτον τὸν ἄνδρα φαμὲν" et „συνενειχθῆναι δέ οἱ ἐν χρόνῳ ἱκνευμένῳ τάδε λέγομεν."

Ex fonte Atheniensi hausta esse videntur, quae narrantur VI 34 sq. de Doloncorum regibus, qui oraculo Delphico iubente Miltiadem arcessiverunt. Haec et alia multa, quae apud Herodotum de Philaidis narrantur, traditionem familiarem redolent. Item oracula, quae Tisamenis Elei (IX 33) et Euenii Apolloniatae (IX 93) divinationem praedicunt, ab horum vatum gentibus pervulgatae esse videntur.

Ex V 85 et 86 efficitur, oraculum Epidauriis datum (V 82) depromptum esse ex Atheniensium et Aeginetarum narrationibus. Athenis inventum est etiam oraculum, quod (VI 139) Lemni expugnationem excusare vult.[1])

Parii Herodoto testes erant oraculi VI 135 laudati, quo deus Delphicus eos vetuerat supplicium de Timone sacerdote perfida sumere.[2])

De trimetris iambicis Cnidiis datis (I 174) Herodotus ipse dicit: „ὡς αὐτοὶ Κνίδιοι λέγουσι."

I 165—167 narrat Herodotus, Phocaeos missos a Pythia coloniam deduxisse Corsicam; viginti annis post, cum Phocaea a Persis capta esset, omnes cives periuris tantum relictis emigrasse illam in coloniam; inde eos post cruentam pugnam navalem cum Carthaginiensibus et Etruscis commissam decessisse Veliamque condidisse „πρὸς ἀνδρὸς Ποσειδωνιήτεω μαθόντες ὡς τὸν Κύρνον σφι ἡ Πυθίη ἔχρησε κτίσαι ἥρων ἐόντα, ἀλλ' οὐ τὴν νῆσον." Tota narratio colorem habet valde Phocaeensem: Phocaei navium longarum inventores praedicantur (c. 163); libertatis studium, quod praestiterunt valde laudatur (c. 164); eorum, qui eos perfide deseruerunt, periurium illustratur (c. 165); clades, quam acceperunt, victoria appellatur, perniciosa quidem, de hostibus multitudine navium abundantibus reportata (c. 166); interpretatio oraculi mira illa (c. 167) ad eorum contumaciam excusandam inventa esse videtur, nam Pythia certe eos re vera iusserat, Corsicae urbem condere· Illa enim regio Phocaeorum, qui Massaliam condiderant, paene provincia erat.

---

[1]) cf. Ed. Meyer: Forschungen I p. 18.

[2]) cf. VI 134: „τὸ ἐνθεῦτεν δὲ αὐτοὶ Πάριοι γενέσθαι ὧδε λέ γουσι

Fonti Phocaeensi, ex quo haec hausit Herodotus, non assignanda sunt ea, quae narrantur c. 167 de Agyllaeis, qui Graecos captivos lapidibus necaverint et propter hoc immane factum a deo Delphico facere iussi sint „τά καὶ νῦν οἱ Ἀγυλλαῖοι ἔτι ἐπιτελέουσι· καὶ γὰρ ἐναγίζουσί σφι (necatis) μεγάλως καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν καὶ ἱππικὸν ἐπιστᾶσι." Hoc additamentum Herodotus fortasse comperit ludos Agyllaeos ipse spectans. Ex eodem fonte ac antecedentia haustum non est, quod non narrari poterat nisi ab homine, qui non victoriam, ne Cadmeam quidem, sed cladem Graecos accepisse putabat. Apud antiquos enim, qui naufragis natantibus potiri potest, victor pugnae navalis haberi solebat. Verisimile est oraculum esse genuinum, quod saepe Pythia ludos in heroum honorem edi iubebat.[1])

Ita Herodoti historia Phocaeensis duo praebet oracula genuina, hausta tamen ex diversis fontibus.

Metapontinos Herodotus IV 15 ipse narrasse dicit de oraculo, quod Aristeae signum eos statuere iubebat.

Sybaritas oraculum (V 43) commemorasse Doriei, concludere possumus ex V 45.

Epilogus.

Exhausimus narrationum chresmologicarum thesaurum. Audiamus iam, quae dicit de Herodoti fonte Delphico U. de Wilamowitz:[2])

„eine Hauptquelle des Herodotos: wer ihn kennt, dem müssen die ὑπομνήματα des delphischen Orakels eine bekannte Grösse sein, eine Sammlung von Sprüchen des Gottes mit den zugehörigen Erzählungen, die sowohl die Veranlassung wie die Erfüllung der einzelnen Orakel enthielt, ein wunderbarer Schatz geschichtlicher und religiöser Belehrung, über die ganze hellenische Welt und noch darüber hinaus sich erstreckend,

---

1) cf. E. Rhode. Psyche p. 141.

2) Aristoteles und Athen I p. 284 sq.

gemäss der Macht des Gottes, die gewaltigsten Katastrophen der Weltgeschichte, wie den Sturz des Kroisos, und die Geschicke merkwürdiger Menschen, wie des Spartiaten Glaukos, der seinen Gastfreund betrog, umfassend. Das ist das Surrogat für eine delphishe Chronik. Herodotos hat aus dieser Quelle das herrlichste geschöpft, aber auch Ephoros, oder wer zuerst die Orakel über die westhellenischen Gründungen, über Sparta, ja schon über die dorische Wanderung in die Litteratur eingeführt hat, ist im stande gewesen, sehr viel von dort zu nehmen: ein grosser Teil unserer vulgaeren Tradition trägt dieses delphische Gepräge. Es ist freilich eine Methodelosigkeit sonder gleichen, wenn man den Priestern sich darin unterwirft, dass man den delphischen Gott zum Herren oder besser zum Pabst von Hellas macht; um sie zu verwerten muss man diesen Geschichten ihre Appretur in maiorem dei gloriam auswaschen: aber eine Exegetenüberlieferung, der Atthis analog, ein Buch von unschätzbarem geschichtlichem und poetischem Werte und doch kein edirtes Buch, ist hier vollkommen kenntlich."

Priusquam exponam, quae mihi cum Wilamowitzio non conveniant, cuius ipsius monitu ad totam hanc quaestionem tractandam me accessisse grato, quo debeo, animo fateor, brevi quadam, quae infra sequetur, tabula, complectar, quae ego philodelpho assignavi:

Quae habet Herodotus a philodelpho.

Lydiaca.	1.	Apollo praedixit, quintae Gygis progeniei crimen atavi luendum esse. I 13.
„	2.	Apollo Alyattem oraculo coegit ut pacem cum Graecis faceret. I 19 sq.
„	3.	Apollo oraculo („*οἶδα δ'ἐγὼ ψάμμου* . . .“) ostendit, oraculum Delphicum solum esse verax. I 47
„	4.	Apollo oraculo („*Λυδὲ γένος* . . .“) praedixit, filium Croesi die nefasto loquendi facultatem recuperaturum esse. I 85
„	5.	Apollo oraculo („*ἀλλ' ὅταν ἡμίονος* . . .“), sat intellegibili Croesum a bello deterrebat. I 55
Corinthiaca	6.	Apollo oraculo („*αἰετὸς ἐν πέτρῃσι* . . .“) Corinthum a tyrannide servare volebat. V 92 *β*.
„	7.	Apollo oraculo („*ὄλβιος οὗτος* . . . *παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες*“) praedixit, Cypselum cum filiis non nepotibus felicem fore. V 92 *ε*.
Cyrenensia.	8.	Apollo oraculo („*Βάττ' ἐπὶ φωνὴν* . . .“) Battum (= *βασιλέα*) Cyrenas condere iussit. IV 155.
„	9.	Apollo Arcesilao dixit, quattuor Battis et quattuor Arcesilais destinatum esse regnum, et commendavit clementiam. IV 163.
Sicyonia.	10.	Apollo Clisthenem tyrannum appellavit „*λευστῆρα,*“ vituperans eum offendentem heroem Adrastum. V 67.
Siphniaca.	11.	Apollo Siphnios imprudentes oraculo („*ἀλλ' ὅταν ἐν Σίφνῳ* . . “ monuit, ut periculum caverent. III 57.
Aeginetica.	12.	Apollo anno 487 Athenienses bellum inferre Aeginetis vetuit et, prospere rem eventuram esse dixit, si 30 annis post inferrent. V 89.
Atheniensia.	13.	Apollo Athenarum interitum praedixit oraculo („*ὦ μέλεοι* . . .“); adiunxit tamen etiam versus („*οὐ δύναται* . . . — *συνιούσης*“). qui manifesto classem apud Salamina saluti fore promiserunt. VII 140, 141.
Arcadica.	14.	Apollo Lacedaemoniis Arcadiam negavit et cladem Tegeaticam praedixit oraculo. („*Ἀρκαδίην μ'αἰτεῖς* . . .“) I 66.
Lycurgea.	15.	Apollo oraculo Lycurgo dato („*ἥκεις ὦ Λυκόοργε* . . .“) adiunxit consilium, quomodo civitas instituenda esset. I 65.
De Pythia pecunia corrupta.	16.	Non verum est, Pythiam ab Alcmeonidis pecunia corruptam esse. V 63.
	17.	Pythia pecunia corrupta et postea punita, quae Demaratum Aristonis filium esse negaverat, invita verum locuta erat. VI 66, 69.

Quae obscurare vult philodelphus.

De amicis munificis ab Apolline proditis.

Apollo crimen Gygis sanxit et donaria ab eo accepit.
I 14.

Testes erant donaria Delphica amicitiae Apollinis et Alyattis, hostis Graecorum.
I 25.

Oraculum Delphicum a Croeso non magis cultum est quam alia oracula.
I 92.

Apollo praedixit versibus („μὴ βούλον . . τὸ δέ σοι πολὺ λώιον ἀμφίς") filium Croesi numquam loquendi facultatem recuperaturum esse.
I 85.

Apollo oraculo de Halyis transgressione vel simili prolato et de sociis iungendis Croesum perdidit.
I 53.

Erat fabula vulgaris a Cypselidarum amicis inventa, Apollinem patri Cypseli honorem, Corintho iudicem promisisse oraculo („Ἠετίων οὔτις σε τίει . . .").
V 92 β.

Apollo Cypselum beatum esse praedicavit prioribus duobus versibus oraculi („ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ . . .").
V 92 ε.

Fabula vetus a regibus propagata erat, Apollinem Battum Cyrenas condere iussisse, regnumque ipsi et posteris promisisse.
(Pindarus et Diodorus.)

Arcesilaus III ferebatur regnum recuperavisse Apollinis Delphici oraculo nisus.
IV 163.

Apollo Delphicus optimus Clisthenis amicus erat.

Siphnii, Apollinis liberales amici, vi maris divitias amiserunt.

Apollo anno 487 fortasse Athenienses excitavit ad bellum contra Aeginetas gerendum; quod infelicem exitum habuit.

Apollo Athenarum interitum praedixit oraculo („ὦ μέλεοι . . ."), adiunxit versus („οὐ δύναται . . . τὸ δὲ τέκνα τ'ὀνήσει.") valde ambiguos, qui defensionem arcis, pugnam navalem, emigrationem significare poterant.
VII 140, 141.

Apollo Lacedaemoniis Arcadiam non negavit et Tegeatarum agros eos expugnaturos esse praedixit ultimis duobus versibus oraculi („δώσω τοι Τεγέην . . ."). Lacedaem. magnam cladem accepere.
I 66.

Fabula Lycurgea surgens Apollinem honore legislationis Spartanae privabat.
I 65.

Alcmeonidae pecunia gratiam Apollinis sibi conciliaverunt.
V 63.

Cleomenes Pythiam Periallam pecunia corrupuit.
VI 66.

Docet haec tabula, narrationes a me philodelpho attributas non simpliciter dei omnia praescientis gloriam praedicare sed defendere etiam crimina, haud pauca illa hercle quidem; Herodoti aequalibus donaria regum Lydorum et tyrannorum Graecorum narrabant de Apollinis amicis et cultoribus proditis; nondum homines immemores erant ignaviae, quam praestiterat deus, cum Persae appropinquarent; fama erat, eum pecunia corrumpi posse. Fabula Lycurgea surgens ei gloriam institutorum Laconicorum creatorum ademit; liber popularis de Croesi captivi sapientia vulgatus fidem commenti Delphici, cuius testis nobis est Bacchylides, labefaciebat etc. etc. Cum res ita essent, non mirandum est, Delphos conatos esse, auctoritatem divinam reparare. Non tamen reparabant meo quidem iudicio[1]) insinuantes singulorum populorum sermonibus, quae finxerant, sed colligentes libro narrationes apologeticas. Vidimus has fabulas paene semper discrepare a testium indigenarum narrationibus: ita ab Atheniensium diversae sunt Delphorum narrationes de Athenis prolatae, a Lacedaemoniorum, quae a philodelpho de rebus Spartanis narrantur, a Cyrenaeorum, quae de rebus Cyrenensibus. Contaminationis vestigia apud Herodotum saepe manifestissima sunt.[2])

Uno ictu Delphi criminum hydram necare cupiebant metu historiae impulsi, quae ipso illo tempore etiam in Graecia ipsa florere coepit, fortasse etiam peregrinorum numero et donariorum imminuente. Quis erat huius Herodoti fontis habitus? Cogitandumne est cum Wilamowitzio de libro, qui omnibus scriptoribus patuerit? Unusne ex multis erat Herodotus, qui ex fonte illo hauriebant? Id affirmari posset, si „logographorum,“ imprimis Hellanici, fragmenta servata essent, quae falsarium Delphicum redolerent.[3]) Mihi cognita non sunt.

---

[1]) cf. Schubringium p. 58: „Quoniam igitur arcani libri oraculorum exstabant, facillime fieri poterat, ut Delphici sacerdotes, quibus poetae ad fingendum praesto erant, singula oracula in tabulas inculcarent, per ministros autem et exegetas cum quibus coniuncti erant ac conspirabant, in singulis oppidis divulgarent.“

[2]) cf. pp.: 9, 11, 14, 15, 18, 23, 27, 31, 41, 48.

[3]) Wolff (Porphyrii de philosophia ex oraculis haurienda libb. rell. p. 45) dicit: „sed primi, qui magnum oraculorum numerum in libros reciperent, logographi fuerunt, id quod ex Herodoto concludere licet, qui illi historiae generi proximus est et ex ipsis reliquiis apparet.“ Signo

Si exstitissent tales loci, vix nullo relicto vestigio evanuissent, nam scriptores Graeci aetatis posterioris eiusmodi narrationibus gaudere solebant. Etiam Herodoti successores, quamquam permulta de Apollinis Delphici oraculis narrant, nil praebere mihi videntur, quod propinquum sit Herodoti fonti. Non enim assignare ei possumus omnia, quae de Loxiae providentia narrantur. Originis Delphicae signum certum est narrationis finis apologeticus. Demonstrari semper debet veritatem aut famam vulgarem Apollini ingratam ficta narratione obscurari.[1])

Conditoria oracula huc non pertinent. Eorum origo, nisi genuina sunt, in ipsis civitatibus quaerenda est, quarum intererat, oraculum conditorium fingere, cum infaustum videretur Apolline non consulto oppidum condere. Vidimus sane Herodotum unam narrationem ex fonte Delphico hausisse, quae de urbe condita ageret: de Cyrenis. Quae ei subest fabula ficta erat tempore tyrannorum florentium, qui, quod raro fiebat, conditore prognati erant. Hanc ob rem non miremur, Delphos putasse, veterem narrationem caute ita depravandam esse, ut Apollinem a tyrannorum amicitia purgaret. Oracula a Wilamowitzio allata, quae sunt de oppidis in Italia et Sicilia condendis, Cyrenensi similia non sunt, quod Apollinem defendere non student. Si fons Delphicus ea praebuisset, certe etiam oracula de oppidis in reliquo orbe Graeco condendis continere debebat, quorum unum vel alterum ab Herodoto servatum esset.

Minime cognata sunt Herodoti fonti multa illa oracula ad res sacras pertinentia. Quorum maxima pars genuina est, velut oraculum de nece Pausaniae expianda datum,[2]) vel illud, quo iussit Apollo, Thesei ossa Athenas transferri.[3]) Multa

---

ei sunt tria Hippyos Rhegini fragmenta, quorum unius auctor minime certus est (fr. 7), alterum non continet oraculum (fr. 8), tertium notos de Crotone condenda praebet versus. (fr. 4) Apertum est, hoc argumento nil demonstrari ne ei quidem qui non cum Wilamowitzio negat, fragmenta servata (F. H. G. II 12 sq.) manasse ex genuino Hippyos libro. (Hermes 9.)

1) Verba non facio de Delphorum narrationibus mythicis et de earum divulgatione, quod has res nondum satis intellego.

2) Thuc. I 134. Diod. XI 45.

3) Hoc oraculum secundum Wilamowitzium (l. l. I p. 146 ann.) a Plutarcho (Thes. 36) ex Atthide depromptum est.

autem eorum ab indigenis inventa esse videntur, qui originem explicare cupiebant rerum sacrarum mirarum, velut sepulcri centum Oresthasiorum, qui Phigaliae colebantur.[1])

Oraculum politicum si fictum esse videmus, quaerendum nobis est, cui profuerit. Delphi enim non soli erant, qui verba divina impudenter comminiscerentur. Aleuadae, ut nonnulla afferam exempla, finxerant, quae narrat Plutarchus[2]) de oraculo imperium sibi sanciente, Athenienses oraculum ad Salaminis expugnationem pertinens,[3]) factio quaedam Atheniensis versus, qui Solonem ad tyrannidem occupandam impellebant.[4]) Facillime deprehendi possunt diversarum partium manus bellorum Messeniacorum historiam oraculis refercientes: Oracula, quae Pausanias tradit, inventa sunt e re Neomesseniorum,[5]) e Spartanorum[6]) ea, quae affert Isocrates, ex Atheniensium illud, quod de Tyrtaeo arcessendo agit[7]), e Messeniorum Rheginorum illud, quod apud Strabonem legimus.[8])

Etiam de multis illis fabulis moralibus, quae, velut narratio illa de Glauco sapiente Spartae vulgata, cum oraculo aliquo Delphico cohaerent, num certum Delphicae originis in-

---

[1]) Pausan. VIII 39, 3 sq. 41, 1.

[2]) Plut. de frat. am. 21.

[3]) Plut. Solon 9, cf. Toepffer: Quaestiones Pisistrateae p. 26 sq., ubi, cur fictum esse hoc oraculum iudicandum sit, demonstratur.

[4]) Plut. Solon 11.

[5]) Pausan. lib. IV cf. Busolt I^2 p. 580: „die von den Messeniern zur Verherrlichung ihres Vaterlandes erfundenen Sagen“ c. ann. 5 „die Messenier unterliegen nicht durch die Waffengewalt der Spartaner, sondern durch göttlichen Rathschluss und List.“

[6]) Isocr. Archidamus (6) 23, 31: deus Delphicus iubet Spartanos, donum liberorum Cresphontis, Messeniam, accipere atque bona consilia ipsis bellantibus dat, Messeniis negat.

[7]) cf. Busolt I^2 p. 607 ann. 3 et p. 608.

[8]) Strabo VI p. 257: Messenii Rhegini progenies erant eorum, qui Spartanis satisfacere cupientes a popularibus expulsi erant. Deus eos Rhegium misit verbis: *„οὐ γὰρ ἀπολωλέναι αὐτοὺς ἀλλὰ σεσῶσθαι μέλλοντάς γε δὴ μὴ συναφανισθήσεσθαι τῇ πατρίδι ἁλωσομένῃ μικρὸν ὕστερον ὑπὸ Σπαρτιατῶν.“* cf. Busolt I.^{2} p. 397 ann.: „Die Erzählung, dass die Messenier in Rhegion von der Partei herstammten, die Genugthuung geben wollte, dürfte in Rhegion selbst entstanden sein.“

dicium praebeant, nos quidem dubitamus, nam oracula fingere apud omnes valde usitatum artificium erat. Mementote omnium illorum oraculorum, quae proverbia explicare,[1]) ornare septem sapientium fabulas,[2]) Sybaritarum interitum[3]) pie illustrare debent etc. etc.

His rebus reputatis tueor sententiam meam, fuisse *ὑπομνήματα* Delphica, quibus Herodotus usus est, non librum omnibus patentem.[4]) Solus hunc thesaurum expilasse videtur.[5]) Num nimis audax suspicio est, eum ministrum fuisse a sacerdotibus electum, qui divulgaret eorum commenta? Omnes lectores fraudem deprehendissent, si tales narrationes sub titulo „*Δελφῶν ὑπομνήματα*“ edita essent. Herodoti nomen eam tegit.

Delphi et Athenienses semper bene sciebant, qui viri gloriam amicorum augere possent. Prisco tempore, cum carmina claritatis fontes essent, Athenienses Pindaro decem milia drachmarum et proxeni honorem decreverunt,[6]) postea, Anyto rogante, dederunt Herodoto decem talenta.[7]) Delphi Pin-

---

[1]) E. G. affero: Schol. Plat. p. 319. (Bekk.) (= Fr. H. G. II 320 sq.) („*κοινὰ τὰ τῶν φίλων*“); Zenob. V. 74. (= F. H. G. III 157, 49.) („*πᾶσα γῆ πατρίς*“); Zenob. I 57 („*Ἄκρον λαβέ, καὶ μέσον ἕξεις*“).

[2]) Diog. Laert. I 1, 28 sq.

[3]) Athen. XII 520 a., Aelian. var. hist. III 43.

[4]) Ceterum talem librum, etiam si exstiterit, Herodoto incognitum fuisse ex eo efficitur, quod desideratur apud eum oraculorum simplicium, haud tamen obscurorum commemoratio, velut illius, quo phylis Atheniensibus deus nomina dat, vel illius, quo post pugnam Plataeensem Eleutheria constituit. (Plut. Aristid. 21.) Herodotus (V. 66) mentionem facit Clisthenis decem phylas constituentis. Oraculum tamen Aristoteles demum affert. (Ath. r. p. c. 21.)

[5]) Exstat tamen narratio de tyrannis Sicyoniis tradita a Diodoro (VIII 24) et Plutarcho (de sera numinis vindicta c. 7), (quorum fontem communem Ephorum fuisse censet Busolt I.^{2} p. 661. ann. 4), quam non nego simillimam esse Herodoteis illis e fonte philodelpho haustis. Herodotus locum idoneum, ubi has res collocaret, non invenisse videtur, si praebebat eas re vera philodelphus. Qua re fortasse Delphi coacti erant ad eam alia ratione divulgandam.

[6]) Isocr. *περὶ ἀντιδ.* (15) 166.

[7]) Plut. de H'i malignit. 26.

darum exquisitis honoribus afficiebant,[1]) Herodoto uberrimum historiae fontem aperuerunt.

Suntne assecuti propositum Delphi? Negabit, qui historiam Graecam contemplatur, nam de Delphici oraculi redintegrata auctoritate politica nil videmus. Frustra tamen Herodoto narrationes fictas non praebuerant. Amorem fabularum chresmologicarum paene omnes historici Graeci ab Herodoto tamquam hereditate accipiebant.

---

[1]) cf. vitas Pind. et Paus. IX 23, 3 et Plut. de sera num. vind. c. 13.

Index oraculorum Delphicorum.

* = ex fonte philodelpho haustum.

Argumentum.